


CAVANELLI  
MONADE


P. I.

A  
47  
38



A-III-11.

16




BIBLIOTECA HOSPITAL REAL  
GRANADA  
Sala: A  
Esp: 47  
Numero: 38



2 400 40  
**Galita**  
MADE IN SPAIN

A-III-11.

161



BIBLIOTECA HOSPITAL REAL  
GRANADA

Sala: A  
Est: 47  
NUMERO: 38

1871  
1872  
1873  
1874  
1875  
1876  
1877  
1878  
1879  
1880

(2)

SECUNDA  
DISSERTATIO  
BOTANICA.

De Malva, Serra, Malope, Lavatera, Alcea, Althæa  
et Malachra.

ACCEDUNT

Sidæ mantissa, et tentamina de Malvarum atque Abutilonis fibris in usus  
œconomicos præparandis.

AUCTORE ANTONIO JOSEPHO CAVANILLES HISPANO-VALENTINO.



PARISIIS;

APUD FRANCISCUM AMB. DIDOT.

M. DCC. LXXXVI.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGIÆ SCIENTIARUM ACADEMIÆ;





SECUNDA

DESSERTATIO

BOTANICA

De Plantis, quae in Alpibus, et in  
et in Alpibus

DESSERTATIO

De Plantis, quae in Alpibus, et in  
et in Alpibus

DESSERTATIO



PARISIIS

APUD FRANKICUM AMBROSIDOT.

M. DCC. LXXXVI.

CUM APPROBATIONE ET PRIVILEGIO REGNI BORNIENSIS ACADEMIAE.



---

SECUNDA  
DISSERTATIO BOTANICA.

*De Malva, Serra, Malope, Lavatera, Alcea, Althæa  
et Malachra.*

---

INTRODUCTIO.

QUUM superiore anno de Sida, ejusque affini- bus disseruerim, meamque opellam benignè, immo grato animo acceptam præter opinionem viderim; plantarum classem persequi institui, quas Linnæus inter monadelphas collocavit. Inter innumeras autem stirpes, quibus hujus classis character quadrat, sex earum genera illustrare in præsentia suscepi; nimirum Malvam, Malopem, Lavateram, Althæam, Alceam, Malachram, in quibus examinandis, atque delineandis in 22 tabulis, ad hujus dissertationis calcem subjectis, annum fere consumsi.

Ut vero lector possit de hoc opusculo rectius judicare, operæ pretium duxi quid in ea elaborando fecerim præmittere, quidque notatu dignum observaverim.

Generum perfectio, atque specierum accurata descriptio numquam obtinebitur, nisi hæ omnes, quoad fieri possit, vivæ examinentur. Idcirco omnium ferme semina undequaque conquisivi, suppeditante in primis honestissimo mihi que carissimo D. Thouin. Quum vero plantæ perfectionis statum attigere, singularum ramulum elegi, meaque ipsius manu quanta potui diligentia in tabulis delineavi, sic tamen perspicuitati consulens, ut tres dumtaxat, aut quatuor unaquæque tabula complecteretur. Porro fructificationis partes omnes accurate depinxi, profecto ut nihil omisisse mihi videar eorum quæ Botanicus desiderare possit. Quas autem plantas desiccatas depinxi, non prius feci quàm selectissima herbaria DD. de Jussieu, de Lamarck et Thouin diligenter perlustrarem, quibus gratias reddo maximas, nec ipsorum in me benevolentiam, atque in Botanicam præclara merita, tacitus unquam præteribo.

MALVARUM vero fructus, calycesque, ac reliquas fructificationis partes examinando, nonnulla reperi, quæ observationum nomine hic adjungam.

1<sup>a</sup>. Calyx interior semper est monophyllus, ac parte superiori pentagonus, semi-quinque partitus (a): exterior numquam interiore major, (una excepta

---

Idem observatur in reliquis generibus.

Malva stipulacea), at triphyllus (a), quamquam in aliquibus speciebus ex duobus dumtaxat foliolis componatur: uterque tamen calyx persistens est (b).

2<sup>a</sup>. Petala sunt malvis quinque (c), basi angustiora, atque inferiori tubi parti adhaerentia.

An rectius diceretur in omnibus columniferis ejusdem esse substantiae petala, tubum, stamina? Equidem sic existimo hæc tria unum idemque formare corpus, cujus centrum, ut ita dicam, est tubus, qui germen tegens parte inferiore in petala extenditur, ac terminatur; parte vero superiori, stylum vaginans, plura exserit filamenta antherifera.

3<sup>a</sup>. Malvarum tubus (d) pluribus scater filamentis per superficiem conicam sparsis, nedum terminalibus, cujus oppositum observatur in sidis (e).

4<sup>a</sup>. Fructus est fere semper orbiculari-compressus, aliquando sphaericus, nonnumquam etiam hemisphaericus (f).

5<sup>a</sup>. Capsulae sunt semper plusquam septem (g) in orbem circa columnam positae (h), quae inter capsulas saepissime prominet acumine terminata.

6<sup>a</sup>. Capsularum figura est ut plurimum subrotundo-triquetra, corniculis quandoque instructa: superficies vero angulum acutum efformantes, quae fructus interiora constituunt, sunt pelliculae, quandoque ita tenues, ut exsiccatione ac tractu temporis saepe evanescant, si non omnino, aliqua saltem earum parte: adeo ut pars extima capsulae, quae durior est ceteris, arillum concavum sistat. Unde fortasse viri doctissimi, quum de malvarum fructu disseruere, arillos pro capsulis usurparunt.

7<sup>a</sup>. Stylus est simplex, ac in tot lacinias ac stigmata partitus, quot sunt capsulae (i).

8<sup>a</sup>. Capsulae sunt aut monospermae, idque saepissime, aut polyspermae. Quatuor observavi species, quarum capsulae erant polyspermae, harumque duae, biloculares (k).

Clarissimi Linnæus (l), Allionius (m), Murraius (n), ut alios præteream, capsulas monospermas requirunt in hoc genere, calycemque duplicem, quorum exteriorem triphyllum, quamquam malvam *Carolinianam*, in omnibus hortis cultam, viderint, quæ altera est ex duobus, quibus capsulae sunt biloculares

(a) In reliquis generibus variat.

(b) In omnibus generibus.

(c) Idem in ceteris.

(d) Idem in reliquis.

(e) Sidam reflexam excipe. Consulatur Mantissa n<sup>o</sup> 79.

(f) In *Lavatera*, *Alcea*, atque *Althæa*, fructus est semper orbiculari-compressus; in *Malope* ac *Malachra* globosus.

(g) Idem observatur in reliquis generibus, *Malachra* excepto, cuius fructus componitur ex quinque capsulis.

(h) Idem in ceteris, si *Malope* excipiatur, quæ capsulas habet in capitulum glomeratas.

(i) *Malachra* excipiatur.

(k) In reliquis generibus semper vidi capsulas monospermas.

(l) *Genera plantarum* n<sup>o</sup> 916, edit. Francofurti ad Moenum 1778.

(m) *Flora Pedemontana*.

(n) *Linnæi Systema*, &c.

et disperma. Hi, aliique sat magno numero MALVÆ generis characterem ponunt in capsulis monospermis, et duobus calycibus, quorum exterior triphyllus. Si tenendum id foret, quot mihi nova genera essent constituenda? Unum scilicet eas complecteretur species, quibus capsulae sunt uniloculares, polyspermae: secundum eas, quibus capsulae sunt biloculares et polyspermae: tertium illas, quae calycem exteriorem habent diphyllum: quartum denique malvas reliquas, in quibus capsulae observarentur monospermae et uniloculares, calyxque exterior triphyllus. Tanta generum varietate memoriae, simplicitati, fortassis etiam veritati bellum indiceretur.

Quod si quis confudisse me dicat, quae diversa esse, natura ipsa monstraret, suo sensu abundet, totque genera constituat, quot velit: ego vero unum dumtaxat ex omnibus agnosco MALVÆ nomine, quod in duas sectiones distribuam. Harum prima malvas complecteretur, quarum fructus ex capsulis componitur polyspermis; secunda reliquas. Hanc rursus in duas sectiunculas separo: prima malvas sistet, quarum calyx exterior est diphyllus; secunda vero eas omnes, in qua dictus calyx ex tribus foliolis componitur; quae quoniam numerosior est ceteris, facilitati consulens in duas iterum partes divido: quarum prima eas species complecteretur, quarum calycis exterioris foliola sunt setae capillares, aut angustissimae; secunda denique reliquas, in quibus calycis exterioris foliola sunt ovata, aut lanceolata. Quo fiet ut vel tyrones ipsi malvas revocent ad sectiones debitas, ubi species separare facile possint ex varia foliorum figura tum etiam ex horum ac caulis tomento, aut levitate; florum numero ac situ, pedunculorum denique proportione.

MALVIS subtexui plantulam, nuperrime acceptam a Cl. viro D. Iosepho Banks, cui grates reddo maximas atque publicum meae gratitudinis testimonium. Illa ergo quamquam fructibus maturis destituta, sat notarum mihi praebuit, quibus ab omnibus huc usque notis generibus seiungerem. Quamquam vero quaedam adhuc desiderentur, quae perfectiora specimina certe sistunt, Botanice communico, SERRÆ nomine. Duplici calyce persistenti gaudent ejus flores: exteriori foliaceo, magno, triphylo; interiore minimo, monophyllo, semi-quinque partito. Stylus est ipsis unicus, apice quinquefidus, laciniis oblongis stigmatiferis. Tubus item, qui parte superiori stamina decem sustinet, inferiori germen tegit, atque in petala quinque magna partitur, malvacearum more. Membranula tandem quaedam reperiuntur parvae circa germen, quod in fructum abiit ovatum, tomentosum, semina continens decem reniformia. An vero fructus sint capsulae plures, aut unica multilocularis? Observandum ulterius, quemadmodum numerus, forma, situs et membranarum existentia.

MALOPEM post hanc et MALVAM collocavi, quamquam illius fructus nec minimam habeat affinitatem cum Malvae fructu; scio enim ordine naturali, ex fructibus unice desumendo, post Palauam, Malopem numerandam esse, quemadmodum Lavateram post Malvam. Et quamquam universae monadelphiae genera illustranda susceperim, liceat nunc mihi de unoquoque indistinctim agere; debitum enim ordinem, mea saltem sententia, tunc dabo, quum omnia perlustraverim, nova addiderim, ac vetera observationibus castigata, novis etiam aucta speciebus, in corpus unum redegerim. MALOPES ergo

genus, quod unica absolvebatur specie, tres in posterum annumerabit cura amici mei D. Candidi Mariæ de Trigueros, qui duas alias in Bœtica detexit, mihiq; humanissime communicavit ex sua Flora Carmonensi decerptas, quæ in lucem publicam aliquando prodibit. MALOPE à MALVA differt, quemadmodum et Palauam dixi a Sida distingui solo fructu, non ex capsulis in orbem positis, sed in capitulum conglomeratis. Calyce etiam exteriori magis ad Gossypium, quam ad Malvam accedit: ceterum ut in prima dissertatione scripsi, non a calyce potissimum desumenda sunt genera, sed a fructu, utpote qui finis est intentus a natura in regno vegetabili.

LAVATERÆ genus MALOPEM sequitur. Illud, fateor, vix auctum prodo; quinimmo sex tantum species delineavi, quum non plures perfectas viderim; quatuor reliquas describo, ac delineatas dabo, quum aut vivas examinabo, aut exsiccatas; ita tamen ut characteres específicos certos ipsæ sistant; aliter enim in detrimentum potius Botanicæ, quam in ejusdem profectum insudarem. Genus hoc non alio differt a MALVA, quam calyce exteriori monophyllo, magno, trifido. Flores sunt ut plurimum pulcherrimi, *trimasris* præsertim, quæ inter omnes eminent.

ALTHÆA post LAVATERAM reperietur. In illo uno genere contuli *Alceas* atque *Althæas* Linnæi, nec immerito, mea quidem sententia. Fructus enim est omnino idem in omnibus, ex capsulis pluribus compositus in orbem positus. Si vero in *Alceis* major est semper capsularum numerus; si margine membranaceo circumdatas has vidimus; num hoc unum suffecerit ut pauperrima genera conservemus? Calycem exterioriorem, quem sexfidum in *Alceis*, novemfidum in *Althæis* dixit Cl. Linnæus, inconstantem reperi; in *Alceis* fere semper observavi 7-8-fidum, aliquando sexfidum: in *Althæis* vero nonnumquam octofidum et in *Althæa* hirsuta, quæ vulgatissima est in Hispania, septemfidum vidit Trigueros. Hac ergo de causa ad *Althæas* omnes refero, quarum novem delineavi; harum tres, *Acaulem*, *Sinensem*, et *Narbonensem*, ut novas, certe nunc primum incisas trado.

MALACHRA tandem claudit hoc anno malvacearum agmen. Præcedentibus ergo hoc genus adjungo, tametsi pauperrimum quod inter illa et hibiscos medium reputem, viamque adeo mihi sternat ad novum opusculum, quod de HIBISCO, RUIZIA, DOMBEYA, ASSONIA, atque PAVONIA (a), paro. Ut vero clarius pateant ea quæ MALACHRÆ cum HIBISCO communia sunt, necessarium duxi Botanicis communicare quæ in examinandis quadraginta circiter Hibiscorum speciebus observavi, quasque jam habeo delineatas.

Hibisci genus huc usque dignoscendum dixerunt in Botanica Principes per duplicem calycem, quorum exterior sit polyphyllus, per stylum simplicem

---

(a) *Ruizia*, *Dombeya*, *Assonia*, *Pavonia*, genera sunt nova, quæ in Commersonis Herbario reperi, quæque honorare volui nominibus trium hominum qui maximum iter Peruvianum et Chilense ingenti gloria perfecerunt, et quarti, qui historiam naturalem ornat, atque amplificat suis operibus. Hi ergo sunt D. Iosephus Dombey Gallus, atque DD. Hippolytus Ruiz, Iosephus Pavon et Ignatius de Asso Hispani. Qui vero dictorum generum characteres videre cupiat, Prospectum perlegat quem pro sequenti dissertatione ad hujus calcem apposui, quæque, Deo favente, in lucem publicam quamprimum prodibit.

apice quinquefidum, et per capsulam unicam quinquelocularem, loculis polyspermis. Sane complures vidi species, quibus isti characteres conveniunt; at in nonnullis, undecim scilicet, quinque capsulas numeravi monospermas et stigmata octo aut decem. Quod in duas partes Hibiscos dividit, rectius genera. Etenim sola capsularum diversitas Commersonium induxit ut novum genus COLUMELLÆ formaret ex unica planta, quam reperit in Insula Bourbon ad Cafrorum vulgo planitiem; et B. Chr. Vogel item, ut aliud efficeret MALACHE nomine ex altera, quam desiccata vidit atque pulcherrime pinxit, nec tamen accurate ut ex speciminibus quæ vidi comprobabo: quod quidem libentius ipsi fecissent, si quod ego reperi et ipsi vidissent; videlicet stigmatum numerum, fructum indigitare, et vicissim ex fructu, una scilicet aut quinque capsulis, stigmatum numerum erui constanter posse. Probe itaque notandum atque alte reponendum, quod quum stigmata quinque in Hibiscorum floribus appareant, pro fructu sequitur capsula unica quinque locularis (a) loculis polyspermis, raro monospermis (b): quum vero octo aut decem, uno verbo plusquam quinque; tunc fructus erit ex capsulis quinque monospermis compositus. Neque vero hanc meam observationem pro lege trado generali, quum pulcherrimi vastissimique hujus generis species omnes nondum examinaverim. At illud certissimum semper erit, dari plurimas, in quibus calyx sit duplex, stigmata plusquam quinque, et fructus ex quinque capsulis monospermis compositus. Qua una observatione illorum opinio cadit, qui stigmata putant capsularum numerum metiri in Columniferis.

Quum ergo MALACHRÆ sint stigmata decem (pace Cl. Linnæi qui quinque dixit, fortasse typographi vitio) et capsulæ quinque monospermæ, ne dicam amplius de calyce medio in Malachris radiata et bractæata, hæc erunt huic generi cum Hibiscorum parte communia, a quibus involuero calyciformi recedunt et floribus capitatis. Num vero hoc satis esse videatur, his præsertim qui fructu, ut ita dicam, obvallantur, ut genera construant, non ausim pronuntiare.

Huic operi præfixi mantissam de Sidis, quinque additis novis speciebus: superioris anni plures observationibus illustravi, ac quædam emendavi circa Sidas reflexam et exstipularem. Ordine reperietur ante Malvas mantissa, ut propius ad congenere plantas singulæ accedant. Dissertationes enim omnes, quas typis dabo decursu temporis, unum idemque corpus cum hac et præcedenti debent efformare. Hac ergo de causa tabulis ita numeros adfixi, ut quæ prima est hujus operis, decima-quarta reperiat, quo facillime Sidarum tredecim adjungentur novæ viginti-duo. Tentamina in hac mantissa scripsi, quæ in Malvis pluribus ac Sida abutilone feci, ex quarum fibris materiam eduxi aptam tum funibus construendis, tum et pluribus textoriæ artis operibus.

(a) Unicam vidi Hibiscorum speciem cui capsula sit 8-10-locularis.

(b) Tres habeo huius generis species, quibus capsulæ loculamenta sunt monosperma.

---

# MANTISSA PRIMA.

## DE SIDA.

---

2. (a) SIDA PLUMOSA. Consulatur pars octava post *Malachram bracteata*.
24. SIDA ANGUSTIFOLIA. Duos colui frutices alterius alterum fortasse varietatem; in uno folia sunt duplo breviora et angustiora, quam in alio: colui tamen in eodem solo; et ex ipsorum seminibus novæ plantæ constantes sunt in dicta differentia.
40. SIDA PALMATA. Hæc species, quæ ab omnibus huc usque notis differt et foliorum figura et stipularum defectu, folia habet palmata 7-9- angulata, digitationibus profundis, dentatis, utraque extremitate angustatis, medio latioribus, subpinnatis. Quatuor item inferiora et prima folia sunt pagina inferiore saturate violacea; superiore lato-viridia: in reliquis foliis reperitur macula in apice petioli, quæ ipsum ambiens in tot denticulos violaceos partitur quot sunt nervi. Colui anno proxime elapso ex seminibus Mexicanis: floruit mensibus Novemb. et Decemb. in hibernaculo, et in altitudinem fere humanam excrevit. Capsulæ sunt nitidæ, nigricantes, communiter octo. In specimine sicco, quod nuperrime mihi donavit D. Dombey, maculæ non apparent; in reliquis omnino cum meis et illud convenit. At probe notandum huiusmodi speciem, quamquam eadem sit, quam in prima dissertatione descripsi, multum cultura in Europa variasse anno præsertim 1784: foliorum enim digitationes, aut potius anguli, fuerunt 3, 5, 7 nec ita profundiores; color item violaceus defuit.
45. SIDA ALBA. Fruticulus est vulgarissimus in Insulis Canariis, semperque virens, ubi biennis est et ultra: *The*. vulgo nominatur, ex eo scilicet quod nonnulli in dictis insulis ejus foliis utantur loco *the* orientalis, quæ hoc modo parantur. Forcipe aut quovis instrumento separantur a frutice folia, quæ papyro mundo recepta, exsiccanda locantur in parte aliqua solis radiis impervia: ut vero ad perfectam siccitatem illa reducantur, lamina ferrea, parce prius calefacta, huc illucque fertur supra folia, charta cooperta, donec illa siccissima appareant, tuncque in vasis mundis inodoris servanda ad usum reconduntur. Canarii, quos colui probatæ fidei homines, referunt dicta folia saporis esse nonnihil amari at gratissimi, earumque vires sudoriferas. Exemplar Canariense communicavit D. Iosephus Viera et Clavija.
47. SIDA RHOMBIFOLIA. Huius folia, quæ primo anno rhomboideam figuram

---

(a) Numeri initiales usque ad 82 ad primam Dissertationem de *Sida* referendi sunt.  
sistunt,

sistunt, ad ovato-oblongam sequentibus accedunt: corticis fibræ separatae omnino sunt inutiles, ut experientia comprobavi.

49. SIDA CAPENSIS. Addi potest synonymum Plukenetii alm. 25 Phyt. T. 240, f. 5. *Althæa maderaspatana melochiæ angustis foliis, fructu ex aliis foliorum, pediculo curvo.*

66. SIDA ASIATICA. Pro corolla petala parum exerta legatur: corolla patentissima.

67. SIDA EXSTIPULARIS. Anno superiori duas diversissimas species hoc numero in unam conjunxi: quæ itaque ibi diximus delenda sunt, atque ejus loco reponenda:

67. SIDA MOLLISSIMA. Tab. XIV, fig. I.

S. Caule erecto tomentoso: foliis cordatis, orbiculato-acuminatis, dentatis, mollissimis; floribus solitariis; calyce fructifero decagono magno.

Caulis teres, tomentosus, ut et tota planta, 4-5 pedalis ramosissimus. *In Peru ad decem pedes excrescit.*

Folia magna, longissime petiolata, cordata, lobo altero alium tegente aliqua sui parte, mollissima, ac ita tenuia, ut vix quidquam habere putes quum inter digitos ea premas. Stipulæ erectæ, longæ, capillares, villosæ, cito decedentes.

Flores axillares, solitarii, pedunculati: pedunculis erectis geniculatis, pollice paulo longioribus.

Calyx pentagono-acuminatus angulis quinque compressis: fructifer basi decagonus, angulis obtusis, alternis brevioribus, qui ex laciniarum carina oriuntur.

Corolla sulphurea, patentissima ex quinque petalis parvis, obcordatis, calyce paulo longioribus.

Stamina numerosa in summitate tubi: antheræ subrotundæ.

Germen globoso-sulcatum: styli undecim: stigmata capitata.

Fructus vix calyce maior, ovato-truncatus, apice angustior, umbilicatus.

Capsulæ undecim villosæ, trispermæ, apice breviter birrostratæ, quum dehiscunt.

*Habitat in Peru iuxta fluvium Maragnon prope sylvas. ☉, ♃. Floruit apud me a mense Augusto usque ad Decembr. Colitur in R. h. P. ex seminibus olim missis à D. Dombey, qui exemplar Peruvianum mihi communicavit.*

Obs. *Sida exstipularis reperietur inter novas species ad calcem hujus mantissæ.*

73. SIDA ABUTILON.

TENTAMINA DE ABUTILONIS ATQUE MALVARUM FIBRIS IN USUS  
ECONOMICOS PRÆPARANDIS.

Nonnullas plantas ab Hispanis meis noveram in varios artium vitæ usus, haud ubique compertos adhiberi. Ex AGAVE AMERICANA, qua sepes fiunt,



ipsimet agrorum cultores fibras separant, et variis tingunt coloribus, ex eisque funes, lora pulcherrima, aliaque id genus parant. STIPA TENACISSIMA in compluribus Hispaniæ provinciis obvia, quæque vernacule *Esparto* nominatur, multum commodi et divitiarum affert. Funes ex hujus graminis foliis conficiuntur, qui cum cannabinis certant, in aqua præsertim immersis: item storeæ affabre contextæ, quibus pavimenta per hiemem frigori depellendo sternuntur: calceamenta denique rusticana, opera textoria, aliaque innumera domesticis agricolarum præsertim usibus perutilia. CHAMÆROPS HUMILIS dici non potest quantum utilitatis Valentiniis meis afferat. Magna enim hujus pars, ea scilicet terræ infossa; quæque radicibus incumbit, est edulis; utpote quæ substantia est firma, albicans, dulcis, pollicem et amplius crassa, ac trium pollicum plerumque diametri: flores item dum teneri sunt et spathis semipedalibus inclusi, saporis sunt haud injucundi: sed folia sunt præcipue, quæ utilitatem suppeditant. Hæc enim materia sunt cophinis, storeis, scopis, funiculis, quibus conficiendis occupantur pueri, mulieres, ipsi etiam viri hibernis noctibus.

MORUS etiam, præter divitiarum agmen quod frondibus suis format (a), teneris ramis novam nendo materiam subtilissimam præbet, quod variis experimentis nuperrime in Catalaunia demonstrarunt DD. Melchior Guardia et Antonius Dou.

ALTHÆÆ denique OFFICINALIS cortex, ut alia præteream, aqua maceratus fila exhibet subtilia, mollia, fortia, candida, ex quibus et tinctis et rite paratis eiusmodi opera texores faciunt, quibus vel ipsi magnates primarii in Regis conspectum prodeant. Præbuit olim exemplum Excel. Marchio Villafrancæ, dignissimum sane quod omnes imitentur in artium honorem et profectum.

His ergo exemplis excitatus, eorumque etiam industria quæ ex Hibisco, Dombeya, Urena, Urtica, Triumpheta (b) in utraque India funes conficiunt, subiit animum experiri num et malvæ in usus æconomicos hic in Europa adhiberi possent. Eam in rem plurima cœpi tentamina in sidis et malvis, sed felicior successu in Sida abutilone et Malva crispa, ex quibus præcipue materiam habui artibus vitæ in primis utilem. Quocirca operæ pretium facturum me putavi, si nonnihil hoc loco adjungerem de ipsarum cultura, deque me-

(a) In regno dumtaxat Valentino serici productum annuum est 30,000,000 librarum vulgo *pésetas*, quæ idem omnino sunt ac *livres tournois*. Consulantur *Observations sur l'article Espagne de la nouvelle Encyclopédie*, anno 1784 a me editæ pro patria vindicanda.

(b) Norunt omnes quotquot Indiæ Orientalis atque Americæ regiones perlustrarunt, plurimas ibi plantas crescere, quarum cortices funibus construendis inserviunt. Verumtamen quum omnes illæ calidissimam regionem exigant, atque hic in Europa non fere a libi eas videamus, quam in hibernaculis, idque multis impensis, tamquam inutiles faciendæ sunt in nostro solo, ad easque animus converti debet, quæ facile hic crescunt, et sine impensis ut ita dicam; quales sunt Malvæ plurimæ tum indigenæ, tum exoticæ, at nunquam arbores.

Opusculum hoc erat absolutum, quum accepi a D. Antonio Laurentio de Jussieu Sidam abutilonem in China coli æque ac cannabim, atque ex ipsa funes fieri, qui minoris vaneunt, testante imprimis Parre d'Incarville. Utinam et hic dixisset et plantarum altitudinem et duritiem, et quanto tempore illic in aquâ detineantur, ut fibræ commode ac utiliter separari possint!

thodo qua, uti in cannabi fieri solet, fibras separavi, magno usui futuras tum filis, tum funibus, operibusque textilibus conficiendis.

Et quidem Sida abutilon vel prima facie utilio rem se præ Malvaceis omnibus exhibebat; quippe cujus caules erecti, crassi, alti, ac quatuor fere pedum altitudinem attingant tribus fere mensibus. Ergo illius aliqua semina terræ vasis inclusæ, ut fit in hortis, commisi mense Maio, quæ in plantulas octo aut decem pollices altas excrevisse reperi medio Junio, quas tunc temporis e vasis in terram liberam posui semipedali spatio inter se distantes; arque ut omnia tentarem alia plurima semina, hac eadem ab invicem distantia, terræ liberæ commisi ultimo Junio.

Horum cotyledones apparuerunt octavo aut decimo die. At quamquam plantulæ optime vegetaverint, numquam præcedentium altitudinem attingerunt: quo certe patet et æquo serius seminatas ipsas fuisse, et opportunum eisdem tempus constituendum esse initio Maii, ut uberiores colligantur.

Ducentas fere hujus speciei plantas colui, triplici ut ita dicam methodo subjectas. Nam centum circiter sæpe exspoliabam inferioribus foliis, floribusque, ut caules haberem rectos, nec ramis interruptos: reliquas omnimoda libertate donavi; et quo plura experirer, harum nonnullas in horto sparsas, majorique intervallo disjunctas, inter malvas plantavi, electo in id dedita opera ingrato solo. Omnes initio, secundo quoque die irrigabam, aut citius, si id terræ siccitas exigebat. Quum vero duorum pedum altitudinem attigerunt plantæ illæ quæ sparsæ in horto reperiebantur, sui juris a me derelictæ creverunt, irrigatæ dumtaxat pluviis, quas copiosas vidimus superioribus Julio et Augusto.

Malvacearum plantas nedum in humidis delectari vidi, sed et repetitis, quinimmo copiosis irrigationibus indigere. Nonnullas enim in vasis subtus perforatis conservabam, aqua undique circumdatis, quæ humectando radices, plantis tribuebat incredibile robur; si vero periculi gratia, eas aqua privabam trium aut quinque horarum spatio, caules tunc temporis nutabant, folia dependebant, et clauderantur flores; uno verbo tota planta languebat. Ex quibus certissime evincitur illas terras Malvaceis convenire, quæ flumina, stagna, cœnosa loca adjacent.

In miram altitudinem tandem excreverunt plantæ omnes, eæ potissimum quæ sparsæ erant in horto, majorique disjunctas intervallo, adeo ut sex, septem pedum altitudinis has viderim initio Septembris fructibus onustas, ramisque pluribus ornatas; illas vero quatuor pedibus altas, licet necdum debitam perfectionem attigissent. Verumtamen memor adhuc præmaturi frigoris, quod expertus fueram superiori anno 1784, in quo plurimas amisi stirpes inopinata glacie IV Octobris, malui parte aliqua fructus privari, quam omnia perdere, si diutius expectarem. Medio itaque Septembri omnes eradicavi, atque in fasciculos colligatas in stagnum immisi, partem e vestigio, partem posteaquam tribus diebus solis radiis desiccandas exposuissem.

Examinabam sæpe num fibræ gluten viride deposuerint, atque a parte lignosa, ut ita dicam, possent separari, quod non nisi quindecim diebus peractum vidi in illis, quæ quatuor fere pedum erant longitudinis; nam reliquæ duplum fere tempus consumserunt, caules enim crassiores ac duriores evaserant luxurianti

ac copiosiori vegetatione. Jam ubi primum fasciculos ex aqua eduxi, sex aut octo caules una sumebam, quos nonnihil in illa agitabam, ut gluten et pelliculam viridem separarem, tumque omnes cortice fibroso in integrum exposui, quem denuo aqua lotum, soli exposui per integrum diem, ita tamen ut cujusque speciei, atque culturae fructum, determinatis signis notatum recognoscerem.

Roboris, altitudinis atque duritiei diversitas, quam in plantis reperi, duobus causis tribuenda est, a dissimili cultura ortis; libertati scilicet in vegetando, aut partium quarundam amputationi; et majori aut minori terrae parti, quam plantae singulae sibi vindicarunt: ex illis enim quas in horto sparsas habui, quaeque majori ab invicem intervallo praeter ceteris distabant, duplum fibrarum numerum eduxi, fibrasque fortiores atque longiores.

Haec omnes quamquam in longitudinem protrahantur, non tamen recta procedunt, sed undulationes efformando a via sensim recedunt, quam iterum ingrediuntur. Nec corpus unicum efficiunt, sed tegumenta diversa formant atque tenuia, quorum sex distincte numeravi, quae omnia vivente planta corticem integrum componebant.

Odor exsiccatis fibris est omnino idem ac cannabis, color candidus, at siccitas atque rigiditas nimia, quod non parum detrimenti adfert ut in fila atque funiculos illae contorqueantur. Atque si hujusmodi siccitas et rigiditas malvacearum fibris tamquam proprietatis essentialis conveniret, parum ex illis utilitatis reportandum putarem quam plurimis artis operibus, ad quae alioquin, inspecta corticis ipsarum fabrica, destinatas esse fibras diceretur. Veruntamen aut multum decipior, aut causam reperi quae siccitatem illam nimiam atque rigiditatem produxit, quaeque facili negotio in posterum eliminari poterit. Fibras enim omnes atque ex eisdem composita tegumenta in corpus unum, glutinis cujusdam ope coadunari, nullus inficiabitur, qui malvaceas examinaverit: gluten illud ulterius quemadmodum et gummi omnes diutina in aqua maceratione dissolvi, omnibus in confesso est. Ad haec, fibrarum robur magna parte si non omnino a dicto glutine dependent. Quo ergo diutius in aqua macerentur fibrae, et quo magis glutine orbentur necessario; eo roboris atque flexibilitatis jactura major erit. Ego vero in hac provincia plane hospes, utpote mihi nova, qualis fortasse erit bene multis hominibus, cupiebam fibras candidissimas habere, atque eo perducere, ut nulla machina, sed manuum dumtaxat auxilio facile separare possem; quod et fui assequutus. Incommoda ergo siccitas scilicet atque roboris jactura, quae praeter opinionem expertus sum, nulla erunt mea sententia, si modus debitus in macerandis plantis adhibeatur, qui tentando reperiri debet. Et quamquam in praesentia experimentis demonstrare nequeam, quantum roboris amiserint plantarum fibrae nimia maceratione, at plurimum fuisse, nullus dubito.

Quidquid hucusque dictum est nedum debet intelligi de Sida abutilone, verum et etiam de Malvis, crispa praesertim, Mauritiana, Peruviana, et Limensi; omnes enim eadem methodo colui ac maceravi, omniumque fibras pari modo a parte lignosa separavi. Idque notandum Malvam crispam, quae congenerum pulcherrima certe est, majorem fibrarum copiam praeter ceteris continere, plusque glutinis; ejusque fibras et longiores esse et robustiores: quum e contrario

*Malvis Mauritianæ, Limensi, ac Peruviana* breviores sint fibræ atque minoris roboris, quamquam subtilitate ac mollitie præcedentes superent: Sidarum denique, quas sæpius et foliis et floribus expoliabam, fibras debiliores fuisse earum fibris, quæ omnia conservarunt ornamenta, quibus natura plantas parat vitæ, pulchritudini, atque specierum conservationi necessariis.

Ex dictis patet et quidem experientia, ex abutilone et Malvis materiam erui cannabinæ similem; at poteritne illa cum ista certare viribus, copia, atque utilitate? Quæstiones sunt equidem accurate discutiendæ, neque pronuntian- dum nisi uberiori experimentorum copia. Antequam vero in experimen- torum enumerationem descendam, quibus fibrarum vires examinavi, in me- moriam revocari oportet, nec plantas debitam perfectionem attigisse, neque harum fibras gluten servasse, a quo et roboris magna pars pendet, et pro- prietas illa; qua fibræ in fila contorqueri possint facillime. Itaque fibras exa- minavi, quales inexpertus habui ac temporis angustis coactus, ex quarum viri- bus et utilitate inferri aliquo modo poterit, quantum illæ valuissent, si aliter fuerint instituta tentamina. Hæc itaque feci:

Funiculos duos ex abutilone construxi, quorum alter erat unius lineæ dia- metri, duarum alter; ex cannabi item pares sumpsi: singulos eo ponderibus oneravi, quoad omnes rumperentur; trium aut quatuor pedum interposita dis- tantia inter puncta suspensionis et onera. Abutilonis debilior 41 libras sustinuit; fortior 140. Cannabis vero debilior 104; fortior vero 436; ita ut vires abu- tilonis et cannabis sint ut 2 ad 5 respectu funiculorum unius lineæ diametri, et respectu fortiorum ut 1 ad 3.

Audieram in RIO-JANEIRO rudentes construi ex JERIQUEN, qui, aqua immer- si, multo fortiores sunt cannabinis; ubi vero ex aqua extrahuntur atque exsic- cantur, et vires amittunt et evadunt omnino inutiles. Hac ergo de causa volui etiam abutilonis robur examinare: quare et abutilonis et cannabis supra dictos funiculos per integrum diem in aqua demersi; ex qua postea eductos eodem modo atque in siccis feceram usque ad diruptionem oneravi. Abutilonis debi- lior 48 libras sustinuit; cannabinus 96: abutilonis fortior 185; cannabinus 376. Ex quibus constat abutilonis robur in aqua auctum fuisse; minutum cannabis.

Hoc ultimum experimentum quamquam ab instituto meo non alienum reputem (res est enim parum hucusque nota, ne dicam omnino nova), non ta- men sufficiens ut justa ratio stabiliatur inter abutilonis et cannabis vires. Idque notandum cannabinos funiculos, utpote ex molliori materia compositos, magis fuisse tortos quam abutiloneos: quare illius fibræ, quæ pro vectibus in fune haberi possunt, aquæ additione rigidiores evaserunt atque debiliores. Num hæc recte conjecta sint, sapientibus judicanda relinquo: idque addam canna- binos funes plus materiæ continere, atque ponderosiores esse dato diametro, quod fortasse a majori glutinis copia erit repetendum. Atque hæc de viribus.

Fibrarum harum usus in præsentiarum determinari nequit: tempus enim atque hominum industria plures deteget. Ego vero funiculos construxi ex abu- tilone et malva crispa; quibus peractis ex residuo, quod tanquam inutile rei- ciendum dicitabat torsor, filum paravi, quod rudioribus linteis construendis

peraptum arbitror. Illud etiam suspicor hujusmodi fibras utilitatem minime contemptibilem allaturas esse chartarum fabricis (a) aliisque pluribus, quæ omnia ut dixi aut tempus indigitabit, aut hominum industria reperiet.

Ut tandem de utilitate et copia recte judicetur tentamina sunt iterum instituenda, quod utinam plures in reipublicæ commodum velint una mecum, renovare atque me tyronem in hac re ac cæcutientem dirigere! Par passum numerus sumendus in agro pro cannabi, pro abutilone, atque malva crispa: semina sunt ita terræ committenda, ut par sit quam proxime plantarum numerus in singulis spatiis ad lubitum determinatis, ac tandem ponderanda seorsim fibrarum producta. Tunc enim habita virium ratione, recte poterit judicari de impensis, ac singularum utilitate. Cannabis, ni fallor, ceteris paribus, majorem fibrarum copiam dabit; atque si terra ferax occupanda sit, cannabis ceteris anteponenda erit.

At cannabis in Europa numquam sine cultura magnisque impensis crescit, idque in agris feracibus et idoneis. Si ergo reperitis experimentis aliquando constet, quod ego valde suspicor, Malvas crispam et Mauritianam, ac præcipue Sidam abutilonem crescere atque debitum perfectionis statum attingere in terris incultis, humiditate præditis, prope fossas scilicet et stagnantes aquas, ad rivulorum ripas, pratorumque limina et alibi passim; quin hæ plantæ cannabini utilitate ac copia tunc superent, dubitari non poterit: impensæ enim fient perexiguæ in seminandis, colligendis ac macerandis plantis, ac tandem in fibris separandis.

Monitum tandem unumquemque volo, non pro demonstratis me tradere, quæ huc usque dicta sunt, sed ut tentamina duntaxat inchoata, non perfecta. Quod si ex his nonnihil umquam humano generi utilitatis fluxerit, abunde magnum laboris premium existimabo.

#### 79. SIDA REFLEXA.

Ex specimine sicco quod inter alia debeo D. Dombey, quædam sunt corrigenda eorum quæ anno superiori dixi, nonnulla etiam ipsis addenda.

*Flores erecti. Corolla expansa. Tubus et terminatur staminibus et alia sustinet in superficie prope apicem: Calyx fructifer magnus fere pollicaris. Fructus* (quamquam hunc incomplem, aut rectius inchoatum duntaxat conservarent specimina, tamen) ovato-truncatus, umbilicatus, tomentosus: *Capsula* 12 quamproxime, polyspermæ; semina reniformia, an tria? Habitat in Peru, in arenosis Provinciæ Hoara.

*Comparatis itaque recentissimis optimeque conservatis exemplaribus, quæ nuperime adportavit D. Dombey cum illo, quod asservatur apud D. de Jussieu, erroris mei causam detexi; hoc enim stamina terminalia conservat, cetera amisit. Ad hæc quum S. reflexa sit species unica quæ præter stamina terminalia et alia habeat in tubi summa superficie, mirandum non est si ex analogia et specimine inspecto ea dixerim, quæ libentissime castigo.*

#### 81. SIDA BRASILIENSIS. (Tab. XXXIV. f. 1.)

(a). Peracto opere ex D. Tessier didici hujusmodi fibras chartis conficiendis inseruisse.

## 84. ANODA TRILOBA.

Pulcherrima hæc planta, quam colui anno proxime elapso, flores habet magnos patentes numerosissimos a mense Augusto usque ad Decemb. ramos inferiores diffusos, plures, tripedales: capitula tandem, antequam corolla prodeat, apice contorta.

88. TRIGUERA ACERIFOLIA. Legatur = SOLANDRA LOBATA et consulatur genus novum cujus descriptio ac tabula post *Malachram* reperientur.

87. SIDA VESICARIA. (Tab. XIV. fig. 3.)

S. Foliis cordatis, dentatis, subtrilobis: fructu inflato: capsulis decem pentaspermis.

Caulis erectus, fere glaber, nonnihil purpurascens, tripedalis, ramis alternis.

Folia cordata, magna, petiolis breviora, serrato-dentata, acuminata, subtriloba, glabra, mollia, subtus albicantia. Stipulæ angustæ, lineares, initio patulæ, postea reflexæ.

Flores axillares ad latus ramuli, solitarii, initio cernui, postea erecti, longissime pedunculati, pedunculis geniculatis, erectis, petiolo longioribus.

Calyx ovato-acuminatus, supra pentagonus, profunde quinque partitus, laciniis ovato-acutis, carinatis.

Corolla sulphurea, patentissima, magna, ex quinque petalis supra latioribus, obcordatis, altera parte terminali breviora.

Stamina filamenta plurima, brevia, in summitate tubi; antheræ luteæ.

Germen globoso-sulcatum. Styli decem, staminibus longiores: stigmata globosa, albicantia.

Fructus subsphærico-umbilicatus, inflatus: quum ciceris est magnitudinis, et calyce tunc continetur et figuram globosam sistit; quum vero ceresæ magnitudinem adquisivit, tunc ad ovatam figuram accedit, estque calyce major.

Capsulæ decem, pentaspermæ: semina ut in congeneribus.

*Habitat in Mexico. ℥ Florentem habui mensibus Octob. Nov. et Decemb. ex seminibus communicatis a D. Ortega. ☉ ℥?*

*Tres huc usque habemus Sidas fructu inflato, crispam scilicet, occidentalem et hanc vesicariam, quæ a duabus ceteris differt et fructu majori et capsulis pentaspermis.*

*Observ. Figuram vidi inter ineditas Commersonis, quæ asservatur apud D. de Jussieu, quæque hujus vesicarie videtur: idem est habitus, eadem foliorum figura, pedunculorumque situs ac proportio. Corollam vero et calycem video duplo minorem in Commersonia.*

90. SIDA ETEROSMICHOS. *Trigueros.*

S. Foliis cordato-rotundis, acuminatis, dentatis, subpeltatis, capsularum villosarum rostris brevibus.

Caulis teres, tomentosus, vix sesquipedalis, valde ramosus.

Folia, quæ peltata apparent nec sunt, longe petiolata, carnosa, albedo-tomentosa, odore saponaceo graviusculo notanda. Stipulæ breves, lineares, horizontales.

Flores axillares, solitarii, pedunculati; pedunculis petiolo longioribus, folio brevioribus, geniculatis; ante florescentiam pendulis, recurvis: fructiferis vero ad geniculum patentibus, a geniculo ascendentibus.

Calyx ovato-pentagonus, laciniis ovato-acutis.

Corolla patentissima, plana, calyce multo major, saturate flava:

Stamina et antheræ ut in congeneribus.

Germen subrotundum. Stili 15-21. Stigmata globosa.

Fructus calyce major, subrotundo-oblongus, ventricosus.

Capsulæ tot quot styli, vix rostratæ, trispermæ.

*Habitat in Peru* ? *V. Siccam communicatam a D. de Trigueros, cujus est etiam supra dicta descriptio. Floret mensibus August. et Septemb.*

*Figuram dabo ubi primum vivam examinare liceat, quod fortasse fiet anno proximo, tuncque et alias novas species addam quas in hibernaculo conservo nondum floridas.*

91. SIDA EXSTIPULARIS. *Commerson.* (Tab. XIV. f. 2.)

S. Foliis cordatis, acutis, subtomentosis, exstipulatis: pedunculis axillaribus; solitariis, unifloris, petiolo brevioribus. *Com. herb. et manusc.*

Caulis altus, erectus, teres, tomentosus.

Folia cordata, apice peracuta, marginibus obsolete crenata aut repanda, utrinque tomentosa, subtus incana, longissime petiolata. Stipulæ nullæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis petiolo duplo aut triplo brevioribus, geniculatis.

Calyx basi obtuse quinque-angulatus, supra semiquinque fidus; laciniis lanceolatis, acutis, patulis.

Corolla lutea, immaculata, patens, sesquipollicaris, petalis inæqualiter rotundatis.

Tubus basi latus, pentagonus, stamina in apice tantum sustinens numerosa; setacea. Antheræ parvæ, subrotundæ, luteæ.

Germen globosum. Stylus femimultifidus, *dixit Commersonius*: stigmata plura.

Fructus tomentosus, calyce paulo major, subcylindricus, supra nonnihil cavus. Capsulæ subtriginta monospermæ.

*Habitat in Insula Bourbon, ubi eam observavit, ac delineandam curavit Commersonius. Iconem nondum editam vidi apud D. de Jussieu: plantam vero siccam apud ipsum et apud D. Thouin.*

*Obs. Hæc species ordine ponenda est post Sidam occidentalem n<sup>o</sup> 52, atque post ipsas sequens.*

91. SIDA SYLVATICA.

S. Caule arborescente: foliis tomentosis, cordatis, longissime acuminatis: pedunculis binis, axillaribus, unifloris: capsulis monospermis.

Caulis arborescens, valde ramosus, ramis pubescentibus, decem pedalis.

Folia petiolata, petiolis sensim versus apicem brevioribus, cordata, longissime acuminata, obsolete dentata, tomentosa: inferiora latiora; superiora angustiora. Stipulæ lanceolatæ, erectæ.

Flores axillares: pedunculi bini in singulis axillis superioribus, petiolo longiores, erecti, uniflori, geniculati.

Calyx

Calyx oblongus; quinque angulatus, laciniis lato-acutis, acumine terminatis  
Corolla saturate sulphurea, calyce dupla.

Stamina: filamenta numerosa in summitate tubi: antheræ reniformes.

Germen globosum, tomentosum; styli numerosi, tubo longiores. Stigmata globosa.

Fructus intra calycem, globoso-umbilicatus, tomentosus. Capsulæ 30-36 compressæ, muticæ, monospermæ. Semina basi acuta.

Habitat in sylvis prope flumen Maragnon in Peru. V. S. communicatam a D. Dombey.

Obs. Fructus, quem examinavi, vix ciceris magnitudinem adæquabat, qui necdum perfectionem adquisiverat, et calyce erat minor: in statu tamen perfecto majorem hoc futurum esse arbitror.

An hæc species sit eadem cum illa que in R. h. P. colitur nomine *S. Dianthemæ*? omnia sane congruunt, at statura pygmea est si cum hac nostra Peruviana comparetur: fructus item *S. Dianthemæ* numquam vidi.

Obs. Hujus et sequentis figuræ desiderantur in tabulis, quia excissæ jam erant quum eas observavi; dabo tamen cum secunda mantissa.

93. SIDA CALYPTRATA.

S. Caule herbaceo glabro: foliis cordatis, ovato-lanceolatis, oblongis, dentatis: floribus solitariis: seminibus calypttratis.

Caulis teres, erectus, plusquam tripedalis, ramis erectis.

Folia distantia, petiolata, petiolis longiora, cordata, oblongo-acuminata, dentata. Stipulæ capillares erectæ.

Flores axillares, solitarii, longissime pedunculati, pedunculis capillaribus erectis, geniculatis, unifloris.

Calyx globosus, laciniis lato-acutis.

Corolla saturate sulphurea, calyce dupla, patens; petalis emarginatis, latere altero brevior.

Stamina: filamenta plura in summitate tubi brevissimi: antheræ subrotundæ.

Germen globosum, sulcatum. Stigmata decem.

Fructus subrotundo-compressus, decem sulcatus, calyce paulo major. Capsulæ decem monospermæ. Semen subovatum compressum in fundo capsulæ prope omnium axem, calyptra coopertum: hæc est arcuata, lanceolata, flava, denticulis utrimque prominentibus instructa, capsula dehiscente patens, semenque tegens.

Habitat in arenosis circa Limam ☉? V. S. communicatam a D. Dombey.

Obs. Quemadmodum Dillenius calyptram dixit plumulam, quæ semen utique regit in *S. Occidentali*, et ego pariter sic nomino foliolum semen tegens in hac nova specie.

Ordine collocanda est *S. calyptrata* post *S. glomeratam* n<sup>o</sup>. 32.



P A R S I I I ,  
MALVAS COMPLECTENS.

CHARACTER COMMUNIS MALVÆ, MALOPÆ, LAVATERÆ, ALTHÆÆ,  
MALACHRÆ.

Calyx duplex persistens : interior quinquefidus ; exterior polyphyllus , aut multifidus.

Petala quinque , basi connexa et adnata staminum tubo.

Stamina numerosa , inferne coalita in tubum , ad cuius superficiem et apicem infixa.

Germen unicum , superum : stylus unicus : stigmata plura.

Fructus multicapsularis ; capsulis mono , aut polyspermis , sæpius unilocularibus , plerumque in orbem dispositis.

Caulis herbaceus aut frutescens , ramis alternis : folia alterna , stipulacea.

MALVÆ CHARACTER PROPRIUS.

Calyx exterior triphyllus , aliquando diphyllus , raro tetraphyllus aut unifolius.

Germen depressum , aliquando globosum : capsulæ octo aut plures , numero stigmatum æquales , in orbem dispositæ : in plurimis uniloculares , monospermæ ; in paucis polyspermæ , aut etiam biloculares.

Malvæ ubique passim reperiuntur : deflectantur in locis humidis , ac plurima præbent commoda tum officinalia tum æconomica : illa , utpote nota omnibus , silentio prætermitto ; de his in opusculi decursu.

SECTIO PRIMA.

CAPSULÆ POLYSPERMÆ.

§. I. Capsulæ biloculares , loculis monospermis.

94. MALVA CAROLINIANA. *Lin.* (Tab. XV. f. 1.)

M. Caule repente radicante : foliis radicalibus , crenatis , indivisis ; superioribus multifidis : fructu cristato.

M. Caule repente , foliis multifidis. *Lin. Spec. Plant. n°.* 10.

Abutilon repens , Alceæ foliis , flore helvulo. *Dill. elth 5. Tab. 4, f. 4.*

Abutilon Carolinianum repens , Alceæ foliis gilvo flore. *Mant. Cent. 34, T. 34.*

Radix perpendicularis, fibrosa.

Caulis teres, repens, radicans ad singula folia inferiora, ramosus, pilosus tripedalis, et ultra.

Folia cordata, dentata: quæ radici propiora, latiora sunt et parum incisa; reliqua eo minora, atque profundius divisa, quo extremitati magis appropinquant. Stipulæ ovato-acutæ.

Flores solitarii, axillares, pedunculati: pedunculis petiolo brevioribus.

Calyx exterior ex tribus foliolis lato-lanceolatis, quibus quartum paulo inferiorius sæpe adjungitur: interior major, hirsutus, laciniis acutis.

Corolla ex quinque petalis rubris, unguibus saturatoribus, patentibus, subrotundis, calyce paulo majoribus.

Stamina fere sexdecim incarnata: antheræ subglobosæ: tubus brevis.

Germen globoso-conicum, villosum: stylus brevis, rubescens: stigmata sub-24, capitata.

Fructus calyce major; subtus hemisphæricus, supra planus, ciliatus, ex 24 capsulis compositus. Capsulæ bicornes, corniculis ad peripheriam fructus, extus dehiscentes, pilosæ. Semina nigra, glabra, reniformia.

Habitat in Carolina. ☉. Habui florentem a mense Julio usque ad Octob. Colitur in R. h. P.

95. MALVA PROSTRATA. (Tab. XVI. f. 3.)

M. Caule humi fuso, anguloso: foliis palmato-multifidis: floribus solitariis: fructu glabro.

M. Laciniata floribus rubris, humi fusa. *Commers. herb.*

Caulis humi fusus, angulosus, pilosus, bipedalis.

Folia longe petiolata, palmata, 5-7 partita, lobis dentatis. Stipulæ ovato-acutæ.

Flores ut in præcedenti, pedunculis petiolo subæqualibus.

Reliqua ut in præcedenti, at fructus glaber.

Habitat in pascuis, fossis, et viis circa Monte-Video. Floret mense Novembri: Observata a Comm. anno 1767. V. S. communicatam a D. Thouin.

Obs. Valde affinis præcedenti, an solum varietas? Foliorum figura ac fructuum glabrities impedimento sunt ut in unam speciem confundantur.

§. II. Capsulæ uniloculares, polyspermae.

96. MALVA ELEGANS. (Tab. XVI. f. 1.)

M. Caule tomentoso; foliis pinnatifidis, tomentosis, crispis, subtus albis: fructu globoso: capsulis trispermis.

Caulis teres, lanuginosus, ramosus, frutescens? spica laxa terminatus.

Folia pinnatifida, pinnulis crenatis, crispis, tomentosis, subtus lanugine albis. Stipulæ ovato-lanceolatæ, parvæ.

Flores in summitate caulis et ramulorum solitarii, axillares, breviter pedunculati.

Calyx exterior ex tribus foliolis lanceolatis : interior duplo major , semiquinquefidus , ambo canescentes.

Corolla flavo-rubescens , calyce paulo major.

Stamina numerosa ; anthera . . . .

Germen globosum : stylus cylindricus : stigmata numerosa.

Fructus globosus , lanatus , ex capsulis fere 24 compositus. Capsula compressa ; trisperma : semina reniformia , marginata , rubescentia.

*Habitat ad Caput Bonæ Spei , unde adsportavit eam D. Sonnerat. V. S. apud DD. de Jussieu et de Lamarck.*

97. MALVA ABUTILOIDES. *Lin.* (Tab. XVI. f. 2.)

M. Caule malvarum maximo frutescente ; foliis angulatis , planis , tomentosis ; pedunculo axillari , multifloro.

M. Foliis lobatis , villosis ; caule erecto ; calycibus brevissimis ; capsulis globosis , striatis ; loculis polyspermibus. *Lin. spec. pl. n.º. 23.*

Abutilon Althæoides flore carneo , fructu globoso. *Dill. elth. T. 1, f. 1.*

Caulis arborescens decem et amplius pedes altus , erectus , crassus , villosus ; ramis paucis.

Folia longe petiolata , subplana , crassa , incano tomento tota obsita , crenatodentata , 5-7 angulata , angulis acutis. Stipula . . . .

Flores in pedunculo erecto , axillari , multifloro ; flos quilibet pedunculatus.

Calyx exterior ex tribus laciniis : interior semiquinquefidus.

Corolla ex petalis quinque carneis , striatis , obcordatis , patentibus.

Stamina brevia : anthera nigricantes.

Germen globosum : stigmata reflexa.

Fructus calyce major , globosus , striatus , tenuiter villosus , ex capsulis plurimis , polyspermis compositus.

Obs. I. *In figura Dillenii , ex cujus opere hac desumsi , semina sunt duo , reniformia.*

*Habitat in Providentia , Bahama. H.*

II. *Cl. Linnaeus dixit hanc speciem a ceteris distingui pericarpis globosis polyspermibus : at plures nunc cognoscimus , quarum fructus eadem figura gaudet ; nonnullas etiam , quibus capsulae sunt polyspermae , inter eas CAROLINIANAM , ab ipso examinatum , quamquam nihil dixerit de hac re , notatu digna.*

III. *Num Malva Abutiloides Lin. filii diversa sit a precedenti affirmare non audeo , quamquam differentias aliquas videam : 1º. corolla in nostra carnea , in illa Lin. filii alba : folia in hac parva , non ita in nostra : factes denique illius est Malva Capensis , a qua nostra recedit. Ut vero lector possit recte judicare ex supplemento Lin. p. 307 , sequentia adjungam.*

Malva Abutiloides fruticosa , incana , foliis profunde lobatis , sinuatisque.

Folia parva , cordata , tri vel quinquelobata : lobis incis , intermedio productiore.

Flores in racemis terminalibus magni.

Calyx inferior lanceolatus.

Corolla alba.

Fructus globosus, retusus; loculis numerosis, 15-20, arcte connexis, ut in abutilo veterum.

Frutex simillimus Malvæ Capensi, sed totus, excepta pagina superiore foliorum, albo-incanus, vel subtomentosus.

Habitat ad Cap. Bonæ Spei.  $\mathfrak{H}$ .

## SECTION II.

### CAPSULÆ MONOSPERMÆ.

#### §. I. *Calyx exterior diphyllus.*

98. MALVA ÆGYPTIA. *Lin.* (Tab. XVII. f. 1.)

M. Caule erecto, scabro, pedali: foliis palmatis, dentatis: corollis calyce brevioribus, exterioribus diphyllis.

M. Caule erecto, foliis palmatis, corollis calyce minoribus. *Lin. spec. plant. n.º. 22. Mill. dict. n.º. 11 Jacq. hort. T. 65.*

*Alcea Ægyptia geranii folio. Lipp. Ægypt. manus.*

Radix tortuoso-perpendicularis, teres, ramosa, fibris capillaribus.

Caulis teres, erectus, scaber, fere pedalis, et prope radicem dumtaxat ramuli nonnulli, erecti.

Folia parva, palmata, quinque-partita; laciniis profunde fissis, dentata; supra glabra, subtus pilis aliquot brevibus. Stipulæ lanceolatæ, ciliatæ.

Flores axillares, solitarii: in parte superiori caulis stipula trifida loco folii; ornati, pedunculati, pedunculis erectis duplo aut triplo longioribus quam petiolus.

Calyx exterior ex duobus foliolis angustissimis, quandoque ex uno dumtaxat: interior duplo longior, laciniis latis, acuminatis.

Corolla ex petalis quinque purpureo-albicantibus, linearibus, emarginatis, calyce nonnihil brevioribus, aliquando longioribus, intra ipsum conniventibus.

Stamina plura in parte superiori tubi rosei: antheræ reniformes.

Germen parvum, rotundo-compressum: stigmata 10-13, dilute purpurea, revoluta, apicibus globulosa.

Fructus calyce tectus, figura germinis: capsulæ totidem circa columnam apice conspicuam. Semina subrotundo-compressa.

Habitat in Ægypto ☉ Habui florentem mensibus Julio et Augusto. Colitur in R. h. P.

Mea observatio contraria est ei quam legimus in Linnæi opere laudato; ubi dicitur = Caulis erectus, ramis alternis in superiore caulis parte, nullis ad radicem: ego vero semper prope radicem vidi ramulos.

99. MALVA SPITHAMEA. (Tab. XVIII, f. 3.)

M. Caule spithameo : foliis minimis subrotundo-crenulatis ; calyce exteriori diphyllo aut monophyllo.

Malva calycibus simplicibus bracteatis. *Trigueros Specim. Floræ Carmonensis. mss.*

Radix unica, minuta, parum fibrosa.

Caulis spithameus, vix villosus, ramosus.

Folia minima, petiolata, subrotunda, crenulata. Stipulæ capillares.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis capillaribus, longis, erectis.

Calyx exterior ex duobus, sæpe uno, foliis filiformibus : interior laciniis acuminatis.

Corolla alba, calycē paulo major, patens, ex quinque petalis obcordatis.

Stamina et reliqua ut in sequenti *Malva Hispanica*.

Fructus intra calycem, ipsoque multo minor ex octo aut pluribus capsulis parvis.

*Habitat in Bætica et in aliis Hispaniæ partibus. Floret mense Maio* ☉ *V. S. communicatam ab amico meo D. de Trigueros.*

100. MALVA HISPANICA. *Lin.* (XIX. fig. 3.)

M. Caule erecto, villosus : foliis crenato-dentatis, inferioribus semi-orbiculatis, superioribus subrhomboideis, supremis angustis : calyce exteriori diphyllo.

M. Caule erecto, foliis semi-orbiculatis crenatis, calyce exteriori diphyllo. *Lin. spec. plant. n<sup>o</sup>. 16. Lafl. it 157 apud ipsum.*

M. Rotundifolia glabra et hispanica flore amplo rubello. *Pluk. alm. 238. Tab. 44. f. 3.*

Radix unica, parva, parum fibrosa.

Caulis erectus ramulis aliquot, pedalis, pilis hirtus, ut et tota planta.

Folia petiolata, petiolis pedunculo brevioribus, pilosa, crenato-dentata, inferiora semi-orbiculata, superiora subrhomboidea, suprema angusta. Stipulæ lanceolatae, oblongæ, ciliatae, petiolo longiores.

Flores axillares, solitarii, uniflori, erecti.

Calyx exterior ex duobus foliolis lanceolatis, oblongis, acutis, serrulatis : interior subinflatus, pentagono-acuminatus, angulis angustis prominentibus.

Corolla magna ex quinque petalis obcordatis, dilute incarnatis, aut albido-roseis.

Stamina numerosa : stigmata longa, capillaria.

Fructus intra calycem, ipsoque minor, subrotundo-compressus, ex 12 quamproxime capsulis glabris.

*Habitat in Hispania, passimque in Bætica. Floret Maio.* ☉ *V. S. communicatam a D. de Trigueros, qui et varietatem ibidem observavit, in qua calyx exterior est diphyllus aut triphyllus in eadem planta, foliolis latiusculis.*

101. MALVA STIPULACEA. (Tab. XV. f. 2.)

M. Foliis inferioribus trilobatis, lobis subrotundis superioribus palmato-incisis : stipulis longissimis, calyce exteriori majore setaceo.

M. Foliis inferioribus lobatis, superioribus palmato-incisis, calyce exteriori

setaceo diphylo. *D. de Asso in synopsi stirpium indigenarum Aragoniæ*,  
p. 90 n<sup>o</sup>. 647, t. 5. f. 1.

*M.* Foliis palmato-incisis caule procumbente, calyce exteriori diphylo *Loëf.*  
*itr.* p. 214 apud *Asso*.

Caules sesquipedales, declinati, scabri.

Folia pedunculata, alterna; inferiora triloba, lobis subrotundis sæpius emarginatis: media palmato-quinquepartita, laciniis trifidis, superiora tripartita.

Stipula lanceolato-acuminata, omnium malvarum longissima.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculo petiolis longiore.

Calyx exterior semper ex duabus setis hispidis, calyce interiore paulo longioribus: interior pentagono-pyramidatus, laciniis acuminatis, nervosis.

Corolla purpurascens, patens ex quinque petalis apice lato-præmorsis.

Reliqua ut in *M. Hispanica*.

*Habitat in Regno Aragoniæ circa Morès, Calamocha, Val-de-Urrea. Floret Maio* ☉.

*Obs.* Quandoque hæc species adeo pusilla est, ut trium pollicum altitudinem vix attingat annis præsertim siccissimis; at calyx exterior semper est ipsi diphyllus atque interiore longior, in quo a congeneribus differt.

*Hanc plantam primo detectam a D. Ignatio de Asso, ab ipsoque publicatam, novam esse speciem, nullus dubito. Quoniam vero ingenuus ac modestissimus auctor in opere nuperrime ab ipso edito cui titulus = Introductio in Oryctographiam et Zoologiam Aragoniæ, sententiam mutare videtur his verbis p. 175. Quæ de Malva Hispanica in synopsi tradidimus delenda sunt et reponenda = MALVA TOURNEFORTIANA, operæ pretium duxi hic addere quibus rationibus adductus primam veram deposuerit sententiam, ut hanc falsam amplecteretur, quo et illius candor pateat, et quantum ego critices in meis elucubrationibus impendam.*

*Absens erat D. de Asso quum eruditissimus ac de Botanica benemeritus viator D. \* \* \* Mairitum pervenit, ubi inspecta descriptione ac figura nostra plantæ pro Tournefortiana habendam esse dixit Hispaniæ Botanicis, idque dicitans in errorem induxisse D. de Asso, quod tertium calycis exterioris foliolum esset deciduum. Illos ubi primum convenit noster auctor, ab ipsis edoctus de viatoris eruditissimi sententia, de se diffidens, atque doctiori cedens, in animum induxit palinodiam canere, ubi primum posset, quod et fecit nuperrime ut supra dixi. Huic ego litteris mandavi ipsius malvam a Tournefortiana toto cælo distare calyce imprimis diphylo longiori; stipulis dehin omnium malvarum maximis, foliis denique inferioribus, quibus lobi sunt tres et subrotundi. Hæc etiam addidi, perpetua suffutis experientia, malvas omnes nedum calycem interiore, sed et exterioris folia habere persistentia dum vivunt, neque ullam umquam excidere nisi plantæ infirmitate, aut morte. Quibus ille humanissime rescripsit litteris datis Amstelodami die 29 Septembris anni 1785, in quibus aperte fatetur, ipsum semper pro nova specie nostram malvam habuisse, meisque nunc argumentis confirmari. Quod si a pristina sententia in ultimo opere recessit, id non nisi viatoris auctoritate se fecisse dixit, nuncque priorem amplectere opinionem, unaque mecum consentire.*

## 102. MALVA PAPAVER. (Tab. XV. f. 3.)

M. Caule hirsuto parce foliato : foliis 5-3 phyllis : calyce exteriori diphylo.  
Caulis gracilis, teres, hirsutus, quemadmodum et tota planta, supra subramosus. (Fragmentum, quod vidi, pedem excedebat.)

Folia petiolata, inferiora pentaphylla, superiora triphylla, foliis lanceolato-linearibus, angustis, longissimis, hirsutis, basi insistentibus petiolo communi. Stipulae ovato-lanceolatae, caule latiores, duae aut tres ipsum cingentes.

Flores terminales, solitarii, pedunculati, pedunculis aphyllis, fere pediculis.

Calyx exterior diphyllus, foliolis linearibus : interior major semi 5-fidus, laciniis lanceolatis, basi hirsutissimis.

Corolla : petala quinque violaceo-rubentia, magna, patentia denticulata.

Tubus basi pillosus stamina sustinens in superficie et apice ut in congeneribus : antherae reniformes.

Fructus . . . . .

*Habitat in Luisiana. Observata a D. Fontenette. V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu.*

*Miranda haec planta inter malvas foliorum figura ; quaeque, dum Galli eam provinciam incolerent, nominabatur vulgo Coquelicot propter similitudinem scilicet quam ipsa habet cum Papavere Rhæas.*

## 103. MALVA CUNEIFOLIA. (Tab. XX. fig. 1.)

M. Foliis lato-cuneiformibus supra crenatis : floribus solitariis : calyce exteriori diphylo.

Caulis herbaceus, teres, ramosus, villosus, ut et tota planta.

Folia petiolata, cuneiformia, infra integra, supra crenato-dentata. Stipulae lanceolatae, erectae.

Flores axillares, solitarii, pedunculati ; pedunculis petiolo longioribus.

Calyx exterior diphyllus, ciliatus ; interior semiquinquefidus.

Corolla dilute violacea ex petalis quinque, calyce duplo longioribus.

Reliqua ut in congeneribus.

Fructus . . . . .

*Habitat . . . . . V. S. communicatam a D. de Jussieu.*

## §. II. CALYX EXTERIOR TRIPHYLLUS.

*A. Laciniæ capillares aut angustissima.*

## 104. MALVA ANGUSTIFOLIA. (Tab. XX. fig. 3.)

M. Foliis ovato-lanceolatis, dentatis, angustis : fructu globoso tomentoso : calyce exteriori minimo setaceo.

Caulis suffruticosus, teres, pilis numerosis stellatis coopertus, ita minimis et confertis, ut pulverulentus appareat (quemadmodum et tota planta), erectus, ramosus, tripedalis et ultra.

Folia

Folia ovato-lanceolata, dentata, angusta, breviter petiolata. Stipulae setaceae; basi callosa, truncata.

Flores axillares, pedunculati, pedunculis petiolo brevioribus uni, vel bifloris.

Calyx exterior ex tribus setis minimis: interior semi-quinquefidus.

Corolla dilute violacea ex petalis quinque, basi tubi inertis, patentibus, obcordatis, planis.

Stamina ut in congeneribus, antherae reniformes, violaceae. Tubi basis pillosa albicans.

Germen globosum: stylus simplex supra multifidus: stigmata globosa.

Fructus sphaericus, villosus, calyce contentus; capsulae 16-20 muticae. Semina nigra, glabra, reniformia.

*Habitat in Mexico* H. *Vidi S. communicatam a D. Palau, cultam in R. h. Matritensi.*

105. MALVA OPERCULATA. (Tab. XXXV. f. 1.)

M. Foliis cordatis quinque-lobatis tomentosissimis: floribus racemoso-spicatis: fructu operculato.

Caulis teres ramosissimus, tomentosus ut et tota planta, albicans et quasi pulverulentus.

Folia alterna, petiolata, petiolis quadruplo et amplius longiora, cordata, quinque-lobata, lobo medio productiore, lanceolata, crenata. Stipulae capillares, tomentosae.

Flores racemoso-spicati. Pedunculus communis axillaris, plerumque solitarius, teres, folio longior: nudus maxima parte, et terminali floridus: flores numerosi, subsessiles, caelum spectantes, parvi.

Calyx exterior ex tribus setulis minimis, tomentosissimis, mollissimis: interior multoties major, laciniis lanceolatis.

Corolla patentissima, dilute purpurea, petalis obcordatis.

Stamina plurima in summa tubi superficie in globum conglomerata, fuscorubentia: antherae parvae. Tubus basi villosus, dehin nudus, erectus, corollae longitudinis.

Germen globosum, villosum, striatum, corpusculo rotundo, compresso, tomentoso quasi operculatum, e cujus centro assurgit stylus purpureus, apice octo aut decemfidus: stigmata purpurea.

Fructus parvus, globosus, corpusculo operculatus, tomentosus, calyce clausus: semina 8-10 parva.

*Habitat in arenosis provinciæ Hoara imperii Peruviani.* H. *V. S. communicatam a D. Dombey.*

106. MALVA SCOPARIA. *Dombey.* (Tab. XXI. f. 4.)

M. Caule fruticoso: foliis ovato-acutis latis crenato-serratis: floribus axillaribus solitariis ad latus ramuli; superioribus glomeratis; calycibus in stellam apertis.

M. Foliis ovatis crenato-serratis, floribus axillaribus confertis; caule fruticoso ramis virgatis. *D. L'Heritier, pag. 53. Tab. 27.*



- Radix lignosa, ramosissima, fibrosa, rufescens.  
 Caulis orgialis ramosissimus, subscaber, supra tomentosus-lanuginosus.  
 Folia petiolata, petiolis folio æqualibus, scabriuscula, ovato-acuta, lata, crenato-serrata. Stipulæ setacæ.  
 Flores axillares, primus solitarius pedunculatus, ad cuius latus ramulus prodit multiflorus, floribus subsessilibus; in superiori vero parte plantæ flores apparent glomerati, ex eo scilicet quod ramulus floridus sæpe sit ita parvus ut flores cum axillari confundantur.  
 Calyx exterior ex tribus setis capillaribus: interior monophyllus, semi-quinquefidus: fructifer auctus, patentissimus, laciniis nonnihil carinatis, et in centro concavus, ubi est fructus.  
 Corolla flava patentissima, ex petalis quinque calyce paulo longioribus, supra emarginatis, altero latere brevioribus.  
 Stamina: filamenta brevia in summitate fere tubi: antheræ reniformes.  
 Germen globoso-compressum: stylus simplex, supra multifidus: stigmata sub 12.  
 Fructus in centro et in cavitate calycis truncatus, ex 12 fere capsulis tricuspidatis, cuspidibus lateralibus brevibus, acutis; centrali erecta brevissima.  
*Habitat passim in Limæ cultis ¶.*  
*Habui florentem a mense Julio usque ad Sept. ex seminibus ex Peruvia missis a D. Dombey.*  
 Obs. I. *Ultimam jam manum huic articulo imponebat typographus quum D. l'Heritier tertium suum fasciculum publici juris fecit, in quo de hac malva accuratissime pro more suo agit. Ego vero opusculum hoc meum cum tabulis Regiæ Scientiarum Academia censura subjeceram ab ultimo Januario, quare nihil a dicto fasciculo mutuavi, sed ex plantis quas colui et characteres et iconem erui.*  
 Obs. II. *Hanc eandem plantam vidi siccam in herbario quodam veteri D. de Jussieu, quæ fortasse ad eas pertinet, quas hujus Patruus Joseph de Jussieu in Perua reperit, atque examinavit. Appellatur vulgo ESCOBA CIMARONA.*

## 107. MALVA COROMANDELIANA. Lin.

M. Ramis procumbentibus. Foliis ovato-oblongis acutis, floribus glomeratis; arillis denis tricuspidatis. *Lin Sp. plant. n.º. 4. Hort. Cliff. 346. Hort. Ups. 201.*

Tota planta villis adspersa est.

Rami filiformes, tenues, debiles, procumbentes.

Folia ovato-lanceolata, acute serrata, utrimque viridia, petiolis laxis insidentia, solitaria. Stipulæ. . . .

Flores ex alis solitarii.

Calyx exterior ex tribus foliolis linearibus, interior quinquefidus.

Corolla lutea, hora undecima se explicans, ad meridiem durans.

Stamina plurima. Stylus decemfidus, stigmatibus capitatis.

Capsulæ reniformes decem, in dorso duos aculeos oppositos gerentes singulæ, et unicum ad apicem.

*Habitat in America.*

*Plantam non vidi. Hac descriptio desumpta est ex Hort. Cliff.*

Obs. *Ad hanc speciem refert Linnæus Plukenetii plantam, mant. 10. tab. 343. f. 2. sic ibi definitam: Althæa Coromandeliana angustis prælongis foliis, semine bicorni; quam utpote meam SIDAM ACUTAM perfectissime sistentem, hic silentio premo. Ex dicta Linnæi citatione constat M. Coromandelianam affinem esse M. angustifolia.*

108. MALVA CRETICA.

M. Caule semi-pedali hirsuto: foliis cordatis subrotundo-lobatis crenatis: floribus solitariis longe pedunculatis.

Alcea cretica hirsuta. *Tournef. Inst. Corol. pag. 2.*

Radix filiformis, alba, fibris instructa.

Caulis herbaceus, gracilis, semi-pedalis, hirsutus ut et tota planta.

Folia alterna, inferiora longe petiolata, omniaque petiolis breviora, cordata; subrotundo-quinquelobata, crenata. Stipulæ ovato-lanceolatæ, subauriculatæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis petiolo longioribus.

Calyx exterior ex tribus foliolis angustissimis; interior, major laciniis acutis.

Corolla carnea calyce paulo major, petalis obtusis, lineis longitudinalibus notatis.

Stamina filamenta numerosa cærulea per totam tubi superficiem sparsa: antheræ. . . .

Stylus simplex multifidus.

*Habitat in Creta. ☉. V. S. apud de Jussieu in herbario D. Isnardi. Unicum exemplar.*

Obs. *Quæ de radice ac staminibus dico, ex manuscripto Tournefortiano desumsi, quod vidi apud D. de Jussieu. Tabulæ omnes erant incisæ quum hanc plantulam examinavi: hac ergo de causa ejus figura in illis desideratur.*

109. MALVA SCHERARDIANA. *Lin. (Tab. XXVI. f. 4.)*

M. Caulibus prostratis: foliis orbiculatis plicatis tomentosis crenatis; pedunculis solitariis unifloris arcuatis. *Lin. Spec. pl. n.º. 13.*

M. Cretica minor hirsuta. *Buxb. Cent. app. 46. f. 32.*

M. Humi fusa minima. *Till. pis. 108 t. 35. f. 2.*

Ex eadem radice plures caules prodeunt graciles prostrati, pedales, nonnihil ramosi, tomento parvo obducti, ut et tota planta.

Folia petiolata, orbiculata, crenata, parum plicata. Stipulæ parvæ, acutæ, patentés.

Flores solitarii, longissime pedunculati, pedunculis flexuoso-arcuatis.

Calyx exterior ex tribus setis brevissimis; interior semi-quinquefidus, laciniis acuminatis, acutis.

Corolla rubescens, calyce duplâ, petalis subrotundis.

Stamina in superficie et extremitate tubi numerosa: antheræ reniformes.

Germen orbiculato-compressum: stigma 9-12.

Fructus calyce major hemisphæricus, supra convexus, villosus 9-12 sulcatus.

Capsulæ 9-12.

*Habitat in Bithynia. ♀. Habui florentem mensibus Julio et Augusto. Colitur in R. h. P.*

Obs. *Capsula semper in orbem posita, quamquam sæpe sapius inaequalis.*

110. MALVA PARVIFLORA. *Lin.* (Tab. XXVI. f. 1.)

M. Caule patulo, foliis angulatis; floribus axillaribus sessilibus glomeratis, calycibus glabris patentibus. *Lin. Spec. plant. n.º. 11. Amœnit. Academ. 3. p. 416. Jacq. Hort. t. 39.*

Ex eadem radice perpendiculari fibrosa caulis erectus prodit, et alii decumbentes, aut humi fusi, bipedales, omnes ramosi, subscabri.

Folia alterna longissime pedunculata 7-lobata, lobis obtusis, crenatis, glabra, septem-nervia. Stipulae ovato-lanceolatae, ciliatae, erectae.

Flores axillares, numerosi, breviter pedunculati.

Calyx exterior ex tribus foliolis seraceis: interior glaber, laciniis subrotundis, apice acuminatis, fructu maturo patentibus.

Corolla minima vix calyce major, ex quinque petalis albis, apice roseis, bifidis.

Stamina plurima, brevissima: antherae reniformes.

Germen subrotundo-compressum: stylus viridis: stigmata octo, alba, revoluta.

Fructus octagonus, octo-sulcatus, scaber, ex octo capsulis circa columnam positus, acumine terminatam.

*Habitat in Barbaria. ☉. Habui florentem mensibus Junio, Julio, Augusto. Colitur in R. h. P.*

Obs. *Nec synonymus nec figura Plukenetii a Linnæo citata huic nostrae planta convenire videtur: Plukenetii enim planta flores habet caeruleos, et calyce triplo longiores; folia triloba acuminata, breviter petiolata, ac stipulas longas, lanceolatas; quae omnia longe sunt diversa a characteribus a planta viva mutuatis.*

111. MALVA PERUVIANA. *Lin.* (Tab. XIX. f. 1.)

M. Caule erecto herbaceo, foliis palmatis, spicis secundis axillaribus, seminibus denticulatis. *Lin. Spec. plant. n.º. 6. Mill. Dict. n.º. 8. Jacq. Hort. T. 156.*

Caulis erectus, 4-pedalis, ramosissimus, pilis rarioribus.

Folia alterna, palmato-lobata, lobis sæpissime 5, acutis, aut obtusis, inaequaliter denticulatis, venosa, glabra, petiolis subaequalia. Stipulae ovato-acuminatae.

Flores spicati. Pedunculus communis axillaris, solitarius, folio longior, nudus, at foliosus ubi spica incipit: hæc secunda, sursum versa, recurvata: flos quilibet subsessilis.

Calyx exterior ex tribus foliolis lineari-angustissimis, sæpe incurvis: interioris laciniae lato-lanceolatae.

Corolla rubra, patens, calyce paulo longior: petala obcordata, altera extremitate longiora.

Stamina quasi laciniae tubi purpurei: antherae nigricantes.

Germen compressum sulcatum. Stylus albus : stigmata purpurea sub 13.  
Fructus intra calycem ex 10-13 capsulis nigris, dentibus alternis, plurimis exasperatis.

*Habitat in Limæ uliginosis.* ☉. *Habui florentem a mense Junio usque ad Octob. innumeris onustam fructibus. Colitur in R. h. P.*

*Varietatem colui, cujus folia omnia erant septem-lobata, lobi tamen usque ad petiolum fissi, ita ut diversam initio crederem: verumtamen floribus, fructu, facie denique Peruviana est.*

Ex hujus et sequentis cortice fibræ parantur mollissimæ ac tenuissimæ nendo perutiles. Consulatur mantissa de Sidis.

112. MALVA LIMENSIS. *Lin.* (Tab. XIX. f. 2.)

M. Caule erecto, scabro, ramosissimo; foliis septem-lobatis rugosis: spicis axillaribus: floribus cœruleis: capsulis lævibus.

M. Caule erecto herbaceo, foliis lobatis, spicis secundis axillaribus, seminibus lævibus. *Lin. Spec. plant. n.º. 7. Amœnit. Acad. 4. p. 324. Jacq. Hort. T. III.*

Caulis teres, scaber 3-4 pedalis, ramosissimus, ramis erectis.

Folia cordata, atro-virentia, septemlobata, lobis acute dentatis, petiolata; petiolis longitudine foliorum. Stipulæ lanceolatæ, coloratæ, longe ciliatæ.

Flores spicati ut in præcedenti: at pedunculus communis petiolo longior, et spicæ raro secundæ; flos quilibet pedunculatus.

Calyces ut in præcedenti, at longius ciliati.

Corolla semper cœrulea, calyce duplo longior, patens, petalis obcordatis.

Fructus orbiculato-compressus, umbilicatus, glaber intra calycem. Capsulæ

13 quamproximæ, nigræ, compressæ, glabræ.

Reliqua ut in præcedenti.

*Habitat in Lima.* ☉. *Habui florentem a mense Junio usque ad Octob. Colitur in R. h. P.*

113. MALVA BRYONIFOLIA. *Lin.*

M. Caule fruticoso tomentoso; foliis pinnatis scabris, pedunculis multifloris. *Lin. Spect. plant. 2. Vet. edit. p. 968.*

*Planta belle echinata per discum foliorum. Apud Lin. loco citato. Habitat in Hispania. H.*

Obs. Nullubi hanc speciem nec vivam nec siccam vidi; hac ergo de causa in tabulis desideratur.

114. MALVA BONARIENSIS. (Tab. XXII. f. 1.)

M. Caule tomentoso; foliis trilobatis, lobis inæqualiter crenato-dentatis; floribus glomeratis, axillaribus, subsessilibus, parvis.

Tota planta tomentosa.

Caulis striatus, ramosus.

Folia petiolata, petiolis longiora, trinervia: inferne ovata, integra; superne trilobata, lobis inæqualiter crenatis. Stipulæ ovato-lanceolatæ.

Calycis exterioris foliola capillaria : calyx interior paulo major , acutus :  
Reliqua deerant.

*Habitat in Buenos-Ayres ; observata a Commers. V. S. communicatam a D. Thouin.*

315. MALVA VIRGATA. *Murr.* (Tab. XVIII. f. 2.)

M. Caule frutescente virgato : foliis incisicrenatis glabris rigidis : corollis planis substellatis.

M. Foliis basi angustatis, multiformibus, partitis; laciniis inciso-crenatis; pedunculis unifloris; caule frutescente. *Murr.*

M. Foliis subcordatis, laciniatis, glabris, caule arborescente? *Hort. Cliff.* 317, *Hort. Ups.* 201. *Spe. pl.* 2. p. 968.

M. Frutescens capensis grosulariaefolio minori glabro. *Dill. Hort. Elth. T.* 169. f. 206. (Tab. XXIV. fig. 1. nobis.)

*Alcea africana frutescens folio grosulariaefolio, flore parvo rubro. Boerh. ind. alt.* p. 271. n. 13. *apud Dill.*

Caulis teres, bipedalis, nonnullis pilis minimis stellatis, per totam fere longitudinem floridus.

Folia petiolata, triloba, lobis oblongis, crenatis, medio productiore, glabra, utraque pagina virentia, nonnihil rigida. Stipulae subovatae.

Flores axillares, solitarii, aliquando bini, pedunculis petiolo longioribus, initio cernuis, fructiferis erectis.

Calyx exterior ex tribus foliolis anguste linearibus, quibus aliquando bractea accedit: interior major, ambo glabri.

Corolla patentissima aliquando convexa, ex quinque petalis, unguibus albis, angustatis, supra subrotundo-emarginatis, rubris, striis saturatoribus ornatis: inter ungues calycis lacinae apparent.

Stamina filamenta plurima longiuscula, in superiori superficie tubi parte locata: tubus basi albus villosus, superne purpureus: antherae parvae, globosae.

Germen album, globosum, nonnihil tomentosum: stylus purpureus, apice 16-partitus, stigmata nonnihil incrassata.

Fructus intra calycem globoso-compressus, umbillicatus: capsulae 16-quam proxime.

*Habitat ad Caput Bonae Spei. H. Habui florentem mensibus Sept. et Octob. Communicatam a D. Thouin.*

*Nota. Si haec descriptio cum ea comparetur quam abunde tradit Dillenius loco supra citato, eadem omnino reperietur, nisi quod mea planta folia habeat utraque pagina virentia. At figura Dilleni non ita exacte sistit hanc plantam ut ego quidem arbitror: haec ergo de causa, ut Botanicis morem gererem, utrasque in meis tabulis delineavi.*

*Linnaeus tres plantas omnino diversas in sua capensi complexus est.*

*Nota. Plantam capensem habeo siccam, communicatam a D. de Jussieu, quam sistit Tab. XVII. fig. III. in qua flores sunt geminati, et pedunculorum alter biflorus. Caulis item undique pilosus, pilis stellatis; folia vero nonnihil*

*diversa a M. virgata : num diversa sit species an solum varietas , determinare non audeo.*

116. MALVA GROSULARIÆFOLIA. (Tab. XXIV. f. 2.)

M. Caule hirsuto frutescente : foliis subsinuato-lobatis serratis rugosis : floribus solitariis ; fructu hirsuto.

Malva capensis frutescens , grosulariæ folio majore hirsuto. *Dill. Hort. Elth. T. 169. f. 207.*

Caulis teres , hirsutissimus , frutescens , elatior quam in precedenti.

Folia petiolata , subrugosa , subsinuato-lobata , dentata , hirsuta ( ut et tota planta ) , serrata. Stipulæ ovato-acutæ.

Flores axillares , solitarii , pedunculati , pedunculis geniculatis , petiolo longioribus.

Reliqua ut in precedenti.

Habitat ad Caput Bonæ Spei. *H.*

*Specimen vidi apud D. de Lamarck , quod ex Capite Bonæ Spei adsportavit D. Sonnerat , quodque supra descriptæ plantæ perfecte convenit , nisi quod flores sint ipsi brevius pedunculati.*

Observ. *Malvæ virgata et Grosulariæfolia diversæ sunt a Malvæ Africana frutescente , Horti Amstelodamensis part. 2. pag. 171. fig. 86. ( de qua postea ). Differunt etiam a Malvæ Africana frutescente flore parvo carneo , unguibus atro-rubescensibus Plukenetii Amalth. p. 140. T. 431. f. 5. Quare quum Cl. Linnæus omnes tam diversas plantas unico titulo Malvæ Capensis inclusit , aliquid humani mihi passus videtur.*

B. LACINIÆ OVATÆ , AUT LANCEOLATÆ.

117. MALVA CAPENSIS. *Lin.* (Tab. XXIV. f. 3.)

M. Caule fruticoso : foliis quinque-lobis , superioribus trilobis crenato-dentatis glutinosus : floribus binis cernuis : pedunculis fructiferis erectis petiolo longioribus.

M. Caule arborescente , foliis cordatis quinquelobis. *Lin. Spec. plant. n.º. 9.*

M. Africana frutescens , flore parvo carneo , unguibus atro-rubescensibus. *Pluk. Amalth. 140. T. 431. f. 5.*

Caulis fruticosus , teres , villosus , glutinosus , 4-pedalis , valde ramosus.

Folia quinqueloba , superiora triloba , crenato-dentata , glutinosa , subvillosa. Stipulæ ovato-acutæ.

Flores gemini , raro solitarii , axillares , pedunculis petiolo longioribus , aliquando bifloris : florentibus cernuis , fructiferis erectis.

Calyx exterior fere semper ex quatuor foliolis ovato-lanceolatis parulis : interior duplo major ; fructifer pentagonus , clausus , compressus : ambo ciliati , viscosi.

Corolla : petala quinque rubescentia , unguibus saturatoribus , calyce duplo longiora subrotunda , obcordata , campanulato-patentia.

Tubus albus : stigmata purpurea. Reliqua ut in congeneribus.

Capsulae 11-13 nigrae.

*Habitat in Æthiopia, ad Caput Bonæ Spei. 5. Habui florentem a mense Julio usque ad Octob. Colitur in R. h. P. nomine Malvæ capensis minoris.*

118. MALVA FRAGRANS. Jacq. (Tab. XXIII. f. 3.)

M. Caule frutescente viscoso, atro-purpurascente: foliis cordatis 5-7 lobatis, crenatis; floribus solitariis, pedunculis capillaribus, folio brevioribus.

M. Fragrans. Jacq. Hort. v. 3. T. 35. pulch.

M. Africana frutescens, flore rubro. Hort. Amst. part. 2. pag. 171, T. 86.

Caulis crassus, piloso-hispidus, viscosus, odorem fortem, balsamicum spirans, atro-purpureus (ut et petioli atque pedunculi), sexpedalis et ultra, ramosus, ramis inferioribus diffusis.

Folia longe petiolata, magna, atro-viridia, pilosa, aspera, 5-7-lobata, lobis subrotundis, crenatis, crenulis cuspidate brevissimo terminatis. Stipulae ovato-lanceolatae, ciliatae.

Flores axillares, solitarii, longe pedunculati, pedunculis tenuissimis, initio nutantibus, petiolo brevioribus.

Calyx exterior ex tribus foliolis lanceolatis, ciliatis: interioris laciniae acutae, pilosae.

Corolla rubra, patens, petalis subrotundis, unguibus angustatis.

Reliqua ut in præcedenti.

*Habitat ad Caput Bonæ Spei. 22? Habui florentem a mense Julio usque ad finem Novembris. Colitur in R. h. P. nomine M. Capensis maioris.*

Obs. Num hæc planta sit annua, aut perennis, determinare nequeo. Anno enim 1784 proxime elapso per totum mensem Octobris floridam vidi atque virentem; at initio 1785 mortuam reperi; novas itaque quas ex seminibus nuperime habui, in hibernaculo reposui, ut certo de ipsius vita pronuntiare possim. Ad hæc ejus caulis quamquam crassior et elatior sit quam in M. Capensi, potius herbaceus est quam frutescens.

Obs. Exemplar, quod vidi siccum nomine M. Africanae Hort. Amstel. nonnihil differt a planta, quam colui: folia enim sunt illi magis rotundata, lobique non ita profundi, atque pedunculi crassiores.

119. MALVA SUBHASTATA. (Tab. XXI. f. 3.)

M. Caule pilis adpressis: foliis subhastatis: floribus solitariis breviter petiolatis.

Tota planta pilosa, calyces præsertim et folia.

Caulis erectus, teres, ramosus, pilis adpressis undique vestitus, atro-viridis, bipedalis et ultra.

Folia petiolata, petiolis quinquies longiora; oblongo-acuminata, subhastata, dentata, pagina superiori atro-viridia. Stipulae lineares, pedunculo longiores.

Flores axillares, solitarii, breviter pedunculati.

Calycis exterioris foliola angusta: interioris laciniae apicibus acutis,

Corolla lutea.

Fructus

Fructus calyce minor : subtus hemisphaericus, supra planus, villosus : capsulae fere 12, in centro et peripheria breviter aristatae.

*Habitat in Brasil, Chancay Imperii Peruviani, et in Insula Bourbon. M. Ex itineribus Commersonis, et Dombey, atque Hispanorum Ruizii et Pavonis. V. S. communicatam a D. Thouin.*

*Obs. Exemplar Bourbonicum stipulas habet angustiores, et petiolos paulo longiores quam Brasiliense.*

*Variat foliis ovatis, et lanceolatis.*

120. MALVA RETUSA. ( Tab. XXI. f. 1. )

M. Foliis sublanceolatis retusis dentato-crenatis obsolete trilobatis : floribus subspicatis : fructu glabro.

Caulis duriusculus, subruber, ramosissimus, ramis villosis.

Folia breviter petiolata, ut plurimum sublanceolata, retusa, crenato-dentata, villosa ; nonnulla ovata. Stipulae ovatae, brevissimae.

Flores solitarii axillares, spicam veluti formantes : flos quilibet pedunculatus, pedunculis triplo et amplius petiolo longioribus.

Calycis exterioris foliola lanceolata : interioris laciniae longae, acutae.

Corollae petala saturate lutea ad rubrum accedentia, patentia, emarginata ; calyce duplo longiora.

Tubi pars inferior villosissima. Stamina et antherae ut in congeneribus.

Germen subgloboso striatum.

Fructus intra calycem, subrotundo-umbillicatus, glaber. Capsulae decem, compressae.

*Habitat ad Caput Bonae Spei, unde adportavit D. Sonnerat. V. S. communicatam a D. Thouin.*

121. MALVA TRIDACTYLIDES. ( Tab. XXI. f. 2. )

M. Caule frutescente ramosissimo : foliis minimis cuneiformibus supra trilobis.

Caulis frutescens, ramosus, plusquam bipedalis.

Folia alterna, sessilia, cuneiformia ; basi acutissima ( loco petioli ), supra tripartita.

Stipulae ovatae, brevissimae.

Flores solitarii, axillares, pedunculati, pedunculis folio subaequalibus.

Calycis exterioris foliola lineari-angusta.

Corollae petala patentia, foliis multo maiora, emarginata, rubescentia, unguibus saturatioribus.

Tubus villosissimus. Stamina et antherae ut in congeneribus.

Germen orbiculato-umbillicatum, decem striatum. Stylus tubo longior : stigmata decem.

Fructus calyce minor. Capsulae decem, glabrae, muticae.

*Habitat ad Caput Bonae Spei. Ex itinere D. Sonnerat. V. S. communicatam a D. Thouin.*

*Planta miranda parvitate ac figura foliorum sessilium.*



122. MALVA TOURNEFORTIANA. *Lin.* (Tab. XVII. f. 3.)

M. Caule decumbente : foliis pinnatifidis ; pinnulis linearibus ciliatis apice trifidis ; floribus solitariis ; pedunculis folio longioribus.

M. Foliis radicalibus quinquepartitis , trilobis linearibus , pedunculis folio caulino longioribus , caule decumbente. *Lin. Spec. plant. n<sup>o</sup>. 21. Amœnit. Academ. 4. p. 283. Mill. Dict. n<sup>o</sup>. 3.*

Mauve maritime. Lamarck. *Flore Française* , n<sup>o</sup>. 757. §. V.

Malva maritima Galloprovincialis geraniifolio. *Tournef. inst. 98.*

Alcea tenuifolia humilis maritima Galloprovincialis ; foliis inferioribus ad geranium accedentibus. *Pluk. alm. 13. T. 44. f. 4.*

Caulis teres , procumbens , pedalis.

Folia radicalia quinquepartita , triloba ; caulina pinnatifida , apice trifida , pinnulis linearibus , obrusis , ciliatis. Stipula lanceolata , acuta.

Flores solitarii , axillares , pedunculati , pedunculis folio longioribus.

Calycis exterioris foliola parva , lanceolata : interioris laciniæ acuta.

Corolla patens , magna , petalis angustis , cordatis.

Reliqua non vidi.

*Habitat in Galloprovincia atque Hispania maritimis. ☉. V. S. communicatam a D. de Jussieu.*

123. MALVA CRISPA. *Lin.* (Tab. XXIII. f. 1.)

M. Caule erecto ; foliis angulatis crispis ; floribus axillaribus glomeratis. *Lin. Spec. plant. n<sup>o</sup>. 18. Miller. Dict. n<sup>o</sup>. 4. Hort. Cliff. 317. Hort. Ups. 200.*

M. Foliis crispis. *Bauh. pinax 315.*

M. Crispa. *Dod. pemp. 653.*

Radix brevis , crassa , alba , ramulis fere pedalibus undequaque scatens , e quibus fibra capillares.

Caulis erectus , glaberrimus , sulcatus , ramosus , 6-pedalis.

Folia magna , horizontalia , aut suberecta , glaberrima , cordata , subrotundo-septem lobata , crenato-dentata , crispa : petioli erecti , folio longiores , sæpe pedales. Stipula ovato-lanceolata , patentes.

Flores axillares , glomerati , pedunculis inæqualibus.

Calycis exterioris folia lanceolato-acuta.

Corolla alba , apice dilute purpurea , calyce paulo major : petalis emarginatis.

Stamina pauca in summitate fere tubi brevis , albi : anthera parva , reniformes.

Germen orbiculato-compressum : stylus brevis , decemfidus : stigmata revoluta.

Fructus intra calycem. Capsulae decem.

*Habitat in Syria , Germania. ☉. Habui florentem mensibus Julio , Aug. Sept.*

*Obs. Hæc est planta , ex qua copiosam erui materiam funibus construendis utilem , textoriae artis operibus minime spernendam. Consulatur Mantissa de Sida , n<sup>o</sup>. 73. de Sida Abutilone , ubi fusius omnia tradidi , quæ aut experimentis comperi , aut tentanda indigitavi.*

## 121. MALVA FASTIGIATA. ( Tab. XXIII. f. 2. )

M. Caule tomentoso : foliis cordatis 5-lobatis ; lobis acutis medio productiore : floribus fastigiatis conglomeratis.

Caulis teres , subtomentosus , bipedalis.

Folia cordata , crenato-dentata , quinque lobata , lobis acutis , medio productiore. Stipulae breves , lanceolatae.

Calycis exterioris foliola satis magna , ovato-lanceolata : calyx interior quasi inflatus , laciniis acuminatis.

Corolla calyce multo longior , petalis emarginatis.

Fructus intra calycem. Capsulae 12.

Habitat in montibus Arvernibus , observata a D. de Lamarck. V. S. apud ipsum. Unicum exemplar.

## 125. MALVA ALCEA. Lin. ( Tab. XVII. f. 2. )

M. Caule erecto glabro : foliis cordatis ; inferioribus subrotundo-peltatis crenatis ; reliquis profunde quinquepartitis.

M. Caule erecto , foliis multipartitis , scabriusculis. Lin. Sp. plant. n<sup>o</sup>. 19. Hort. Clif 347. Flor. Suec. 582.

M. Caule erecto : foliis subpeltatis , multipartito-pinnatifidis. Neck. Gallop. pag. 293.

Alcea vulgaris major. Bauh. pin. 316.

Mauve Alcée. Lamarck. Flore Française , n<sup>o</sup>. 737. §. 8.

Caulis erectus , glaber , ramosus , sulcis aliquot quasi angulatus.

Folia cordata : inferiora subrotundo-subpeltata , crenata ; reliqua profunde quinquepartita , glabra in hortis , in agris aspera. Stipulae subovatae , aut lanceolatae , patentes , ciliatae.

Flores axillares ad folia , aut ad stipulas trifidas , solitarii , et in fine caulis et ramulorum glomerati.

Calycis exterioris foliola parva , ovato-lanceolata. Calyx interior fructifer , nonnihil inflatus.

Corolla dilute carnea , patentissima ; petalis cordatis , denticulato-crenatis , unguium marginibus barbatis.

Stamina ; filamenta longa , plurima : tubus albus : antherae reniformes , purpureae , aut albicantes.

Germen orbiculato-compressum , supra villosum : stigmata saturate purpurea.

Fructus intra calycem subinflatum. Capsulae 18 quamproxime nigricantes , dorso villosae.

Habitat in Germania , Anglia , Gallia , Hispania. ♀. Habui florentem a mense Julio usque ad Octob. Colitur in R. h. P.

Obs. Varietatem reperi mense Septembri in planitie vulgo JAVELLE prope vicum Yssy cujus folia omnia erant profunde trilobata , lobis supra latioribus crenatis : quam perfecte sistit figura 1. Tab. VI. Plukenetii , cujus synonymum est : Alcea cretica flore immaculati candoris peramplo. At in mea flores erant initio purpurei , postea dilutiores.

126. MALVA MOSCHATA. *Lin.* (XVIII. fig. 1.)

M. Caule erecto: foliis radicalibus reniformibus incis; caulinis quinque partitis pinnato-multifidis. *Linnae. Spec. plant. n<sup>o</sup>. 20. Hort. Ups. 202. Flor. Suec. 2. n. 629.*

Alcea folio rotundo laciniato. *Bauh. pin. 316.*

Mauve musquée. *Lamarck. Flore Française, n<sup>o</sup>. 757. §. 7.*

Radix perpendicularis, tortuosa, fibrosa, alba.

Caulis pilis aliquot, ramosus, pedalis.

Folia cordata, glabra; inferiora reniformia, incisa, crenata, longe petiolata; caulina quinquepartita, pinnato-multifida, pinnulis crenato-dentatis. Stipula ovato-oblonga, ciliata.

Flores solitarii, axillares, pedunculati, pedunculis petiolo longioribus.

Calycis exterioris foliola ovata, ciliata. Calyx interior pentagonus, angulis prominentibus.

Corolla magna, patentissima, dilute violacea, ambrosiaca: petalis supra profunde obcordatis, crenulatis.

Stamina plura, oblonga; anthera violacea; tubus albus.

Reliqua ut in precedenti.

*Habitat in India, Gallia, Hispania. Habui florentem mensibus Augusto et Septemb.*

Obs. *Exemplaria culta in hortis sunt fere glabra. Quae vidi in Belgio sunt magis pilosa, neque petala habent crenata: Alpina demum atque Hispanica sunt villosissima, foliorumque laciniæ et pinnulae sunt ipsis angustiores.*

## 127. MALVA LOBATA. (Tab. XVIII. f. 4.)

M. Foliis subcordatis quinque-lobatis crenatis tomentosus: floribus axillaribus et fastigiatis.

Caulis ramosus, tomentosus, ut et tota planta.

Folia alterna, subcordata, quinquelobata, lobis crenatis nec profundis: stipula ovata, parva.

Flores axillares, solitarii; in summitate caulis et ramorum fastigiati.

Calycis exterioris foliola ovata.

Corolla purpurascens, magna, petalis supra obcordatis, crenulatis.

*Reliqua deerant exemplari sicco, quod vidi apud D. de Jussieu.*

## 128. MALVA ABULENSIS. (Tab. XXXIV. f. 3.)

M. Caule scabro-tomentoso; foliorum inferiorum basi concavo-arcuata; superiorum cuneiformi: floribus breviter pedunculatis.

Caulis teres, tomentosus ut et tota planta, plusquam bipedalis.

Folia inferiora longissime petiolata, basi nonnihil concava; semi-circularia indivisa, quinque angulata, angulis obtusis crenatis; superiora sensim brevius petiolata, basi cuneiformia, supra 5-3-lobata, lobis profundis crenato-dentatis: stipula ovato-lanceolata.

Flores solitarii aliquando bini, ad stipulas bifidas axillares breviter pedunculati in summo caule.

Calycis exterioris foliola ovato-lanceolata.  
 Corolla ut in præcedenti at minor.  
*Reliqua deerant in exemplari sicco communicato a D. de Asso.*  
*Habitat in Hispania prope opp. Mugnostello dititionis Abulensis.*  
*Hæc species distinguitur a reliquis foliorum superiorumbasi cuneiformi; inferiorum vero, obtuse arcuata.*

129. MALVA SINENSIS. (Tab. XXV. fig. 4.)

M. Caule herbaceo reclinato glaberrimo: foliis quinquelobatis obtusis crenatis: floribus speciosis axillaribus numerosis.  
 Caulis teres, glaberrimus (ut et tota planta) erecto-reclinatus, bipedalis.  
 Folia longe petiolata, cordata, quinquelobata, lobis obtusis, crenatis. Stipulæ lanceolatæ, patentes, acutæ.  
 Flores numerosi 5-6 ad singulas axillas pedunculati.  
 Calycis exterioris foliola ovata.  
 Corolla ex quinque petalis magnis, albicantibus, ab unguibus angustissimis versus apices lineis saturate purpureis ornati.  
 Stamina numerosa purpurea: antheræ nigricantes. Tubus purpureus.  
 Germen globoso-compressum, glaberrimum: stylus simplex 10-fidus: stigmata violacea.  
 Fructus intra calycem: capsulæ decem, muticæ.  
*Habitat in China. ☉. Habui florentem mensibus Augusto, Septemb. et Octob.*  
*Colitur in R. h. P.*

130. MALVA MAURITIANA. *Lin.* (Tab. XXV. fig. 2.)

M. Caule erecto subglabro: foliis cordatis crenatis quinquelobatis; floribus numerosis magnis rubescentibus; stipulis connatis.  
 M. Caule erecto herbaceo, foliis quinquelobatis obtusis, pedunculis petiolisque glabriusculis. *Lin. Sp. plant n°.* 15.  
*Malva hederaceo folio. Bauh. pin.* 315.  
 Radix perpendicularis, ramosissima, ramis fibrosis.  
 Caulis erectus, ramosus 4-5-pedalis.  
 Folia longe petiolata, magna, glabra (ut et tota planta), quinquelobata, lobis obtusis. Stipulæ latæ, acuminatæ, connatæ.  
 Flores subquinque in unaquaque axilla pedunculati, pedunculis erectis, petiolo brevioribus.  
 Calycis exterioris foliola ovato-lanceolata.  
 Corollæ petala quinque subrubra, supra latissima, emarginata, unguibus angustata, et inter singulos ungues glandula pilosa, alba.  
 Stamina numerosa, purpurea, quasi imbricata.  
 Reliqua ut in præcedenti.  
*Habitat in Lusitania, Italia, Hispania. ☉. Habui florentem a mense Julio usque ad Septemb. Colitur in R. h. P.*  
 Obs. I. Qui folia aliqua imo et qui ramulos malvarum Mauritanæ atque Sinensis desiccatos præsertim videat, poterit utrasque confundere, quoniam illa

variat foliorum ac loborum figura; at qui vivas utrasque, atque singularum plures, ut ego feci, plantas attente examinarit, diversas nedum inter se, sed et a sequenti procul dubio fatebitur.

Obs. II. Ex *M. Mauritiana* cortice fibras erui mollissimas, quas aptissimas reputo ad opera textilia construenda.

131. MALVA SYLVESTRIS. *Lin.* (Tab. XXVI. fig. 2.)

*M.* Caule scabro: foliis 5-7-lobatis crenato-dentatis, calyce exteriori submonophyllo.

*M.* Caule scabro: foliis 5-7-lobatis, acutis, petiolis pedunculisque pilosis. *Lin. Sp. plant. n<sup>o</sup>. 14.*

*M.* Foliis quinquelobatis serratis, obtusis, calycum foliolis exterioribus subtrifidis. *Nek. Gallob. p. 294.*

Mauve sauvage. *Lamarck. Flor. Franç. n<sup>o</sup>. 757. §. 3.*

Caulis erectus, parte inferiori quandoque reclinatus, bipedalis, ramosus.

Folia longe petiolata, cordata, supra glabra, 5-7-nervia, nervis scabris: inferiora septemlobata, crenata; superiora quinquelobata, dentata. Stipula ovato-acuta, ciliata.

Flores 3-5 in singulis axillis, pedunculati, pedunculis erectis, unifloris, vix pollicaribus.

Calyx exterior saepe monophyllus, profunde partitus in tria foliola, ovata, basi adhaerentia calyci interiori.

Corolla magna, patens, subcaerulea, petalis oblongis, profunde cordatis, unguibus villosis.

Reliqua ut in precedenti.

Capsulae 10-12.

Habitat in Europa viis circa agros. Floret a mense Junio usque ad Octob. *V. V.*

Cultur in *R. h. P.*

Not. Plures vidi in agris caule decumbente, imo prostrato.

Hec species sufficienter distinguitur a reliquis calyce exteriori sapissime monophyllo, quamquam profunde trifido, adeo ut media videatur inter *Malvas* et *Lavateras*.

132. MALVA VERTICILLATA. *Lin.* (Tab. XXV. f. 3.)

*M.* Caule erecto: foliis angulatis: floribus axillaribus glomeratis sessilibus; calycibus scabris. *Lin. Spec. plant. n<sup>o</sup>. 17.*

Radix teres, napiformis, fibris innumeris semi-pedalibus.

Caulis teres, subglaber, erectus, bipedalis, inferne ramosus, ramis erectis, spica densa aphylla terminatus.

Folia glabra; inferiora reniformi-lobata, media et superiora cordata, quinquelobata, crenata. Stipulae lanceolatae.

Flores subverticillati, ad axillas glomerati, flore uno breviter pedunculato, reliquis sessilibus.

Calyx exterior ex tribus foliolis anguste lanceolatis: interior paulo longior, scaber.

Corolla calyce duplo major, petalis ligulatis, albis, apice purpurascens, emarginatis.

Tubus corolla brevior, stamina sustinens prope apicem.

Germen orbiculato-compressum. Stigmata alba, revoluta.

Fructus intra calycem. Capsulae decem.

Habitat in China. ☉. Habui florentem mensibus Junio, Julio, Augusto. Colitur in R. h. P.

133. MALVA ROTUNDIFOLIA. Lin. (Tab. XXVI. f. 3.)

M. Caule prostrato rubescente; foliis cordatis orbiculatis plicatis 5-7-lobis, pedunculis fructiferis declinatis. Lin. Spec. plant. n<sup>o</sup>. 12.

Mauve à feuilles rondes. Lamarck. Flore Franç. n<sup>o</sup>. 757. §. II.

Radix perpendicularis, teres.

Caulis crassus, teres, ruber, subhispidus, ramosus, prostratus bipedalis et ultra.

Folia longissime petiolata, cordata, subrotunda, crenata, 5-7-lobata, glabra.

Stipulae lato-acutae, ciliatae.

Flores saepe quinque in singulis axillis, inaequalis pedunculati, pedunculis unifloris, fructiferis declinatis.

Calycis exterioris foliola anguste lanceolata.

Corolla patens, petalis albis, apice purpurascens, emarginatis; calyce triplo longioribus, ad unguem utrimque villosis.

Stamina et anthera ut in congeneribus.

Germen rotundo-compressum: stigmata tredecim quamproxime purpurascens, revoluta.

Fructus intra calycem: capsulae 13.

Habitat passim in viis et agris. ☉. Floret a mense Maio usque ad Novemb. Colitur in R. h. P.

134. MALVA NICÆNSIS. Allion. (Tab. XXV, f. 1.)

M. Caule piloso decumbente herbaceo; foliis subcordatis quinque lobis, lobis acutis, pedunculis erectis. Carol. Allion. Flor. Pedemont. n<sup>o</sup>. 1416. p. 40.

M. Smicrantes: caule procumbente foliis semi-orbicularibus angulatis serratis; floribus axillaribus pedunculatis glomeratis; calycibus fructus patentibus coloratis. Trigueros Specim. Florae Carmonensis. mss.

Ex eadem radice ramosa, caules plures, decumbentes parum ramosi 3-4 pedales, pilis nonnullis rigidis.

Folia longe petiolata, petiolis scabris, cordata, quinque lobata, nonnihil plicata, dentato-crenata. Stipulae lanceolatae, membranaceae.

Flores tres aut quatuor in singulis axillis, pedunculis unifloris, erectis, subaequalibus petiolo quadruplo brevioribus.

Calycis exterioris foliola patentia, subcanaliculata, ovato-lanceolata, ciliata.

Corolla patens, alba, apice purpurea, emarginata.

Reliqua ut in praecedenti.

Capsulae undecim subvillosae rufescentes: semina nitida.

*Habitat in Agro Nicensi et Batava, ibi observata (dicente Allionio) prope portum di Limpia a D. Bellardi; hic a D. Trigueros. ☉. Primam vidi V. florentem apud me a mense Julio usque ad Novemb. secundam siccam communicatam ab Auctore Trigueros, qui florentem vidit mense Aprili.*

*Colitur in R. h. P. ex seminibus adsportatis a D. Pourret.*

*Confundi nequit cum Malva rotundifolia, caule in primis striato, calyce exteriori latiori, foliis quinquenerviis, nec ita subrotundis, sunt enim ejus folia semi-orbiculata, pedunculis tandem subaequalibus.*

135. MALVA AMERICANA. (Lin. Tab XXII. f. 2.)

M. Caule rubescente erecto ramoso: foliis ovato-lanceolatis dentatis: floribus solitariis, terminalibus spicatis: capsulis tridentatis.

M. Foliis cordatis crenatis, floribus lateralibus solitariis, terminalibus spicatis.  
*Lin. Sp. pl. n°. 5.*

Caules teretes, sesquipedales, erecti, rubescentes, pilis albis erecto-adpressis, ramosi, ramis erectis.

Folia ovato-lanceolata, dentata, duriuscula, nonnihil canaliculata, numquam erecta; petioli sulco longitudinali villosi. Stipulae lanceolatae, ciliatae.

Flores axillares solitarii; terminales vero spicati.

Calyx exterior ex tribus foliolis anguste lanceolatis: interior basi urceolatus, pentagonus, angulis compressis prominentibus; ambo ciliati.

Corolla lutea, patens, calyce longior: petalis basi angustissimis, supra subovato-falcatis, ad meridiem explicatis.

Tubus brevissimus, stamina sustinens in superiori parte: anthera globosa, lutea.

Germen globoso-compressum, pilis albis circa stylum fasciculatis: stylus brevis, apice decemfidus: stigmata globosa.

Fructus intra calycem. Capsulae decem tridentatae: denticulorum alter versus centrum perpendicularis, reliqui circa peripheriam superiorem.

*Habitat in Charcas, Lima, Tucumana, et passim in America. ☉. Habui florentem mensibus Julio, Augusto, Septemb. Colitur in R. h. P.*

*Obs. M. Tucumana quam etiam colui, folia habet multo majora, florumque pedunculos longiores.*

136. MALVA SPICATA. Lin. (Tab. XX. f. 4.)

M. Foliis subcordatis crenatis subtrilobatis scabriusculis: floribus axillaribus solitariis; terminalibus dense spicatis.

M. Foliis cordatis, crenatis, tomentosis: spicis oblongis, hirtis. *Lin. Spec. pl. n°. 10.*

Caulis teres, tomentosus, ramosus, bipedalis.

Folia subcordata, subrotunda, crenata, subtrilobata, nonnihil scabra. Stipulae lanceolato-lineares, breves, ciliatae.

Flores terminales spicati; spica densa hirta; axillares solitarii.

Calyces villosi: exterioris foliola lanceolata.

Corolla lutea, calyce paulo major, petalis obcordatis altero latere breviori.

Tubus

Tubus flavus. Capsulæ 14 quamproxime.

Reliqua ut in precedenti.

*Habitat in Jamaica.* ☉. *Habui florentem mense Septembri. Colitur in R. h. P.*

137. MALVA OVATA. (Tab. XX. f. 2.)

M. Caule tomentoso : foliis ovatis dentatis ; floribus spicatis ; spica densissima oblonga.

*Althæa spicata, betonica folio villosissimo. Sloan. Jam. 97. hist. 1. pag. 218. Tab. 138. f. 1.*

Tota planta tomentosa.

Caulis teres, tomentosus.

Folia ovata, dentata, petiolis teretibus villosissimis. Stipulæ lanceolato-acutæ.

Flores spicati.

Calyx exterior ex tribus foliolis lanceolato-ciliatis : interioris laciniæ lanceolatæ, valde tomentosæ.

Corolla lutea, parva.

Fructus intra calycem rotundo-compressus. Capsulæ 11-13.

*Habitat in Brasilia, observata a Commersonio. V. S. apud D. Thouin.*

138. MALVA CALYCINA. (Tab. XXII. fig. 4.)

M. Foliis cordatis crenatis indivisis piloso - hispidis : floribus solitariis longe pedunculatis ; calyce exteriori maximo.

Caulis teres, cortice rubescente tectus, ramosus, ramis teneris tomentosis : an fruticosus ?

Folia cordata, crenata, indivisa, nonnulla suborbiculata, pilis scabriuscula ; breviter petiolata, quinque-nervia. Stipulæ parvæ, semi-amplexicaules, ovatæ, subtus concavæ.

Flores solitarii, pedunculati, pedunculis geniculatis, petiolo sexties longioribus.

Calycis exterioris foliola ovato-lanceolata, latiora et longiora quam in congeneribus, ciliata, villosa.

Corolla rubescens, petalis calyce duplo longioribus.

Tubus purpurascens, basi pilosus, stamina sustinens apice et in superficie extima.

Germen subrotundum : stylus apice multifidus.

Fructus globoso-compressus. Capsulæ 16. dorso sulcatæ.

*Habitat ad Caput Bonæ Spei. V. S. apud DD. de Lamarck et Thouin, inde adportatam a DD. Thunberg et Sonnerat.*

139. MALVA TOMENTOSA. *Lin.*

M. Foliis cordatis crenatis tomentosis : floribus lateralibus congestis ; caule fruticoso. *Lin. Sp. pl. n° 2.*

M. Foliis cordatis, crenatis, villosis. *Hort. Cliff. 347.*

Caulis frutescens, tomentosus.

Folia sine lobis cordata, tomentosa,



**Calyx inferior triphyllus.**

Seminum rostra, deciduo flore, brevissima, angulos fructus retusi constituentia.

*Ex Linnæo loco citato. Habitat in India. ♀.*

*Obs. Nullibi hanc plantam vidi, ideoque in meis tabulis desideratur.*

*Nota. Malvam habeo in hibernaculo, quæ necdum floruit. An eadem tomentosa? Videbimus. Caulis ejus est crassus, teres, tomentosus, bipedalis: folia alterna, longe petiolata, (figura et magnitudine Tilliæ Europææ) subcordata, crenata, parum villosa, Stipulæ subulate.*

**140. MALVA GANGETICA. Lin.**

M. Foliis cordatis obtusis scabris; floribus sessilibus glomeratis: arillis denis muticis crenulatis. *Lin. Sp. pl. n<sup>o</sup>. 3.*

M. Indica abutili subrotundo folio, flore luteo spicato. *Pluk. phyth. 74. f. 6.*

Folia cordata, obtusissima, serrata, strigosa. Stipulæ lineares.

Flores ad ramorum apices glomerati, sessiles, lutei.

Semina disco retuso mutica, margine superiori tuberculis minutis crenulata.

*Habitat in India. ☉.*

*Neque hanc speciem vidi umquam; quare et desideratur in tabulis. Quæ vero supra dixi ex Linnæo desumpsi.*

**141. MALVA ACAULIS. Dombey. (Tab. XXXV. f. 2.)**

M. Foliis omnibus radicalibus lobatis denticulatis: pedunculis radicalibus 2-4-floris.

Radix napiformis, crassa, edulis, perennans. *Dombey.*

Caulis nullus.

Folia omnia radicalia, longe petiolata, petiolis pilis albis stellatis, numerosis; subrotundo-lobata, inæqualiter et acute denticulata, dentes setulis duabus terminati.

Flores radicales: pedunculis numerosis 2-4-floris, folio brevioribus.

Calycis exterioris foliola lanceolato-acuminata, ciliata: interioris lacinia lata, acuta.

Corolla patens calyce triplo longior, flavescens, exsiccatione viridis: petala oblongiuscula, apice subrotunda.

Stamina filamenta plura, per tubi superficiem sparsa: antheræ reniformes.

Germen compressum, villosum. Stylus simplex, apice multifidus.

Fructus calyce clausus, orbiculato-compressus, tomentosus. Capsulæ fere 20. semina rubescentia, reniformia, basi acuta.

*Habitat in montibus vulgo CORDILLERA Imperii Peruani. ♀. V. S. communicatam a D. Dombey.*

---

P A R S I V,  
SERRAM (a) COMPLECTENS.

---

*Quamquam sequentem plantam a me examinatam, novum genus reputem, quia tamen fructum incompletum observare mihi licuit, characteres ad tempus dumtaxat dabo, quoadusque completos ac perfectos, inspectis aliis speciminibus, eruere possim.*

SERRÆ CHARACTER GENERICUS.

Calyx duplex: exterior foliosus, difformis, ex tribus foliis cordatis, subrotundis: interior minimus, monophyllus, semi-quinque partitus: uterque persistens.

Corolla, ut in malvaceis.

Stamina filamenta fere decem, superiori tubi superficiei inserta: antheræ reniformes.

Germen ovatum, tubo obductum, membranis quatuor, aut unica potius 4-crenata cinctum: stylus simplex, quinque-partitus. Stigmata globosa.

Fructus ovatus tomentosus, decem semina oblongo-reniformia continens.

Num capsula sit unica, an plures, quot loculamenta illius, aut harum numerus? incerta omnia; quamquam ex fragmentis novi fructus, quem nuperime observavi, capsulam putem unicam 5-locularem.

142. SERRA INCANA. (Tab. XXXV. f. 3.)

S. Foliis cordatis ovato-truncatis, apice tricrenatis, incanis: floribus solitariis axillaribus subsessilibus.

Tota planta tomento incana.

Caulis (si integer fuit quem vidi) vix tripollicaris, duriusculus, solitarius.

Folia alterna, petiolata, petiolis longiora, cordata, ovato-truncata, crenis tribus terminata, media majore, productiore. Stipulas aut nullas vidi, aut foliola sunt minima, cordata, subrotundo-acuta, venosa.

Flores axillares, solitarii, subsessiles, maximi; habita ad plantulam ratione.

Calycis exterioris folia fere æque magna ac caulina; suntque venosa cordata, subrotundo-acuta, apice obtuso. Calyx interior parvus laciniis acutis ciliatis.

---

(a) In memoriam D. . . . Serra Botanici Hispani, qui Floram insulæ Majorcæ omnibus numeris absolutam reliquit, jamque in lucem publicam editurus prematura morte discessit.

Corolla in sicco viridis, quod eam fuisse flavescens indicat, calyce fere duplo major petalis subrotundis, venis saturatoribus notatis.

Stamina filamenta decem purpurea in tubi parte superiori (hibiscorum ac malvarum more): antheræ subrotundo-reniformes.

Germen ovatum, tomentosum, membranulis quatuor (fortasse quintam, examinando destruxi) aut potius membrana 4-crenata cinctum. Stylus simplex, apice quinque-fidus, laciniis rubris tubo longioribus. Stigmata globosa.

Fructus ut supra in genere.

*Habitat in Arabia, contra insulam Socotora, V. S. communicatam ab Equite Iosepho Banks.*

Obs. Genus hoc differt a *Malva*: 1°. calyce exteriori difformi; 2°. stigmatibus V. 3°. membranulis germen cingentibus; 4°. fructu ut ego quidem arbitror. A *Gossypio*; 1°. calyce exteriori triphylo non monophyllo; 2°. laciniis stigmatiferis V. 3°. membranulis. A ceteris omnibus monadelphie operibus toto cælo distat.

## P A R S V,

### MALOPAS COMPLECTENS.

#### MALOPES CHARACTER PROPRIUS.

Calyx exterior triphyllus, foliolis latioribus, cordatis, acutis.

Germen globosum ex pluribus globulis compositum. Capsulæ plures in capitulum conglomeratæ, monospermæ, subrotundæ; parte qua inhaerent, elongatæ, angustiores.

27

143. MALOPE MALACOIDES. *Lin.* (Tab. ~~XXXII~~. f. 1.)

M. Foliis cordatis ovatis crenatis: floribus solitariis magnis longissime pedunculatis.

M. Foliis ovatis crenatis supra glabris. *Lin. Sp. pl. n°.* 1.

*Malva betonicaefolio. Moris. hist. 2. p. 522. f. 5. t. 17. f. 11.*

*Alcea betonicaefolio flore purpureo violaceo. Barr. v. 1189.*

*Malope malacoïde. Lamarck, Flore Franç. n°.* 758.

Caulis teres, pubescens, pilis aliquot brevibus ornatus, pedalis.

Folia nonnihil cordata, ovato-oblonga, crenata; radicalia numerosa, longe petiolata. Stipulæ lanceolatæ, acutæ, vix ciliatæ.

Flores solitarii, axillares, erecti, pedunculati; pedunculis petiolo longioribus.

Calyx exterior ex tribus foliolis cordatis, latis, acumine acuto terminatis: interior duplo longior, semi-quinque-partitus, laciniis acutis.

Corolla magna, patens, purpurea ex quinque petalis basi tubi affixis; supra latioribus, subrotundo-crenatis.

Stamina: filamenta numerosa, parva, maximam tubi superficiem tegentia, ipsumque terminantia: antheræ subrotundæ.

Germen globosum, ex pluribus globulis compositum: stigmata setacea.

Fructus intra calyces globosus, ex pluribus capsulis in capitulum glomeratis: capsula monosperma, globosæ, parte qua inhaerent receptaculo elongatæ, angustiores, supra striatæ.

Habitat in Hetruriæ et Hispaniæ pratis, et in Mauritania. ☉. V. V. colitur in R. h. P.

144. MALOPE TRIFIDA. (Tab. XXVII. f. 2.)

M. Foliis crassis trinerviis trifidis dentatis: floribus solitariis axillaribus longissime pedunculatis.

M. Foliis lævibus acute-lobatis trinerviis. *Vulgo Malva de dehesa. Trigueros, Spec. Floræ Carmonensis. mss.*

Radix unica, lævis, lignosa, inferius dichotome divisa.

Caulis teres, durus, inordinate ramosus, ramis herbaceis, sesquipedalis.

Folia crassiuscula, oblonga, glabra, inordinate dentata, trinervia, acute trilobata; raro lobis quinque: petioli villosi. Stipulæ subovatae acutæ.

Flores axillares, solitarii, pedunculis foliis fere longioribus.

Calyx exterior ut in præcedenti at crenulatus; interioris lacinia nervo longitudinali villosa, hic post efflorescentiam inflatus.

Corolla: figura ac magnitudine præcedentis, petalis purpureo incarnatis, striis longitudinalibus violascentibus, unguibus subcæruleis.

Reliqua ut in præcedenti.

Habitat in pratis Baticæ prope Carmonam. Floret extremo Aprili ☉. Observata a D. de Trigueros, qui et exemplar mihi communicavit.

Nota. Exemplar Africanum vidi apud D. de Lamarck ipsi communicatum a D. Wahl, quod ab hac nostra M. Trifida parum differt. Folia habet sinuata, denticulata, lobis tribus, medio longiore at obtuso: caulem hirsutum rubescentem: reliqua sunt ipsi cum trifida communia. Folium hujus varietatis sistit Tab. 27. lit. X.

145. MALOPE MULTIFLORA.

M. Foliis subrotundis crenatis villosis: floribus 3-4, axillaribus. *Trigueros, Sp. Floræ Carm. mss.*

Caulis vix semi-pedalis, parum ramosus.

Folia subrotunda, crenata, villosa.

Flores axillares parvi, tres aut quatuor in singulis axillis.

Calyces villosi.

Corolla alba.

Fructus (habita proportione) major quam in ceteris.

Habitat in Baticæ pratis prope Hispalim et Carmonam. ☉. Observata a D. de Trigueros. Quum specimen videam, delineabo, ac primo quoque tempore cum aliis plantis incidendum dabo.

---

P A R S V I,  
LAVATERAS COMPLECTENS.

---

LAVATERÆ CHARACTER PROPRIUS.

Calyx exterior monophyllus trifidus : capsulae in orbem positae, monospermae; stigmatum numero respondentem. Reliqua ut in malva.

\* *Caulis fruticosus.*

146. LAVATERA ARBOREA. *Lin.*

L. Caule arboreo, foliis septem-angularibus tomentosis plicatis; pedunculis confertis unifloris axillaribus. *Lin. Spec. pl. n<sup>o</sup>. 1. Hort. Ups. 202. Hort. Cliff. 348.*

Malva arborea Veneta dicta, parvo flore. *Bauh. pin. 315.*

Malva arborescens. *Dod. pempt. 653.*

Caulis arboreus brachii humani crassitiei, octo pedum altitudinis quamproxime, ramosissimus, glaber ut et ramuli et petioli.

Folia alterna, numerosa, fere pedalia, cordata, subrotundo-septemangulata, angulis obrusis; septemnervia, nervis albis, subcylindricis, protuberantibus; mollia, leviter tomentosa, nonnihil plicata, petiolis breviora. Stipulae breves, glabrae, apice acuminatae, basi latae.

Reliqua non vidi: hujus enim speciei plantae plures, quas colui, in altitudinem eximiam provenerunt, at nullos protulerunt flores.

*Habitat inter Pisas et Liburnum. Q. Colitur in R. h. P.*

147. LAVATERA MICANS. *Lin.*

L. Caule arboreo, foliis septem-angularibus acutis crenatis plicatis tomentosis, racemis terminalibus. *Lin. Sp. pl. n<sup>o</sup>. 2.*

Malva foliis mollibus undulatis, in margine superius micis sulphureis ad solem splendentibus donatis. *Moris. hist. 1. p. 523 S. 5. t. 17. f. 3.*

*Habitat in Hispania, Lusitania. H. V. V. at dubiam. Quare in tabulis desideratur ejus figura.*

148. LAVATERA OLBIA. *Lin.* (Tab. XXXII. f. 2.)

L. Foliis dentatis, inferioribus quinquelobatis, superioribus trilobatis acutis; lobo medio duplo longiore: floribus solitariis.

L. Caule fruticoso, foliis quinque lobo-hastatis; floribus solitariis. *Lin. Sp. plant. n<sup>o</sup>. 3.*

Lavatera à feuilles pointues. *Lamarck, Flore Franç. n<sup>o</sup>. 755. §. 3.*

*Althæa frutescens folio acuto virente molli flore specioso. Pluk. phyt. tom. 8. fig. 1.*

Caulis fruticosus, teres, ramosus, supra villosus, 5-pedalis, subruher.

Folia mollia, albicantia, tomentosa, inæqualiter serrata; inferiora subcordato-hastata, quinque angulata: superiora ovato-tricuspidata, lobo medio angustato, acuto oblongo. Stipulæ ovato-lanceolatæ, villosæ.

Flores breviter pedunculati, axillares solitarii, rarissime bini; terminales spicati.

Calyx exterior ovatus, trifidus; laciniis subrotundo-acutis: interior major, semi-quinque partitus, laciniis lanceolatis acutis.

Corolla magna, patentissima, purpureo-rubescens: petala quinque cordiformia, unguibus angustatis, pilis albis opertis, tubo incarnato inserta.

Stamina in superficie et tubi apice numerosissima, purpurea; antheræ reniformes.

Germe subrotundo-compressum, 20-sulcatum: stylus cylindricus sub 20-partitus: stigmata longa, recurva.

Fructus intra calycem, germinis figura. Capsulæ sub 20, monospermæ, nigra, glabræ, in orbem cono striato crasso affixæ.

*Habitat in Gallia meridionali. Y. V. V. apud me florentem mensibus Jun. Jul. Aug. Septemb. Colitur in R. h. P.*

Obs. Capsule mature carinam referunt, includentem magnam partem seminis, cujus pars, illa scilicet que axi est proxima, nuda apparet, ex eo scilicet, quod pelliculæ, quæ capsulæ partem internam efformabant, axi adhereant, seminibus decidentibus

149. LAVATERA TRILOBA. *Lin. (Tab. XXXI. f. 1.)*

L. Foliis subcordatis obsolete trilobis in triangulum plicatis, crenatis: stipulis cordatis: pedunculis aggregatis unifloris.

L. Caule fruticoso foliis subcordatis, rotundatis crenatis; stipulis cordatis, pedunculis aggregatis unifloris. *Lin. Sp. pl. n<sup>o</sup>. 4.*

*Malva foliis subcordatis trilobis obrusis serratis villosis. Hort. Cliff. 347.*

*Althæa fruticans Hispanica, aceris monspessulani incanis foliis, grandiflora saponem spirans. Pluk. alm. 24. t. 8. f. 3.*

*Tota planta tomentosa pilis minimis, eisque immixtis aliis majoribus opice stellatis.*

Caulis teres ramosus 3-4-pedalis.

Folia alterna petiolata, petiolis breviora, subcordata, subrotunda, crenata, limbo ita revoluta ut sint triangularia. Stipulæ cordatæ, latæ, acuminatæ, serratæ.

Flores axillares: pedunculi tres quamproxime uniflori in singulis axillis, erecti, petiolo breviores.

Calycis exterioris laciniæ lato-cordatæ, acuminatæ. Calyx interior duplo major pentagono-acuminatus, angulis prominentibus.

Corolla magna, patens, dilute purpurea; petalorum unguibus albis, pilosis.

Stamina numerosa, alba, per integram fere tubi superficiem sparsa: antheræ  
 magnæ reniformes.

Capsulæ subquindecim in orbem positæ circa columnam acumine terminatam.  
 Reliqua ut in præcedenti.

*Habitat in Hispania Gallia. Vidi florentem a mense Julio usque ad Octob.  
 in R. h. P.*

150. LAVATERA LUSITANICA. *Lin.*

L. Caule fruticoso foliis septem-angularibus tomentosis plicatis, racemis ter-  
 minalibus. *Lin. Sp. pl. n.º. 5.*

*Althæa frutescens lusitanica folio ampliore minus incano. Tournefort. inst. 97.  
 Habitat in Lusitania, Cap. B. Spei H. V. siccam, at dubiam.*

151. LAVATERA AMERICANA. *Lin.*

L. Caule fruticoso, foliis cordatis indivisis crenatis, acuminatis tomentosis,  
 pedunculis solitariis unifloris. *Lin. Sp. pl. n.º. 6. Amœnit. Acad. p. 400.*

Caulis frutescens tomentosus uti tota planta.

Folia petiolata oblongo-cordata, acute crenata, vel denticulata, acuminata,  
 nervosa, utrimque tomentosa, subtus pallidiora. Stipulæ lanceolatæ, de-  
 ciduæ.

Flores axillares, solitarii: pedunculi erecti, uniflori, longitudine petioli. Ra-  
 mulus etiam floriferus ex eadem ala folii.

Calyx exterior major, foliolis cordatis, coadunatis, levissime tomentosis. *Ex  
 Linneo loco supra citato.*

*Habitat in Jamaica. H. Nullibi vidi.*

152. LAVATERA MARITIMA. *Gouan. (Tab. XXXII. f. 3.)*

L. Foliis cordatis, subrotundo-lobatis crenatis tomentosis; floribus solitariis.

L. Caule fruticoso-lanato: foliis cordato-orbiculatis, quinque lobis, obtusis,  
 crenatis; pedunculis unifloris, stipulis setaceis deciduis. *Ant. Gouan. illust.  
 et observation. Botanic, p. 46. T. 25. f. 2.*

*Althæa frutescens folio rotundiori incano. Bauh. pin. 316.*

*Lavateræ à feuilles rondes. Lamarck, Flore Franç. n.º. 755. §. 4.*

Caulis fruticosus subruber, fasciculis pilosis coopertus ita parvis ut globuli  
 farinacei videantur primo obtutu; ramosus, bipedalis et ultra.

Folia in vetustioribus parva, cordata, tomentosa, subrotunda, crenata, non-  
 nihil plicata, quinque nervia: in junioribus plantis et ramis duplo majora.  
 (fere duorum pollicum diametri.) Stipulæ subulatæ, parvæ, tomentosæ.

Flores axillares, solitarii, raro bini, pedunculati, pedunculis declinatis, pe-  
 tiolo brevioribus.

Calycis exterioris lacinia ovato-acuta, interioris duplo majores, lanceolatæ.

Corolla magna, patentissima, albescens, petalis obcordatis; unguibus angus-  
 tissimis purpureis.

Stamina alba numerosa: tubus atro-purpureus.

Germen

Germen orbiculato - compressum : stylus multifidus : stigmata oblonga revoluta.

Fructus intra calycem ex 12 capsulis compositus. Capsulae reniformes circa columnam cono acuminato, brevi terminatam.

Habitat in Gallia meridionali et in Hispania. *H. V. V.* florentem mensibus Julio, Aug. Sept. in R. h. P.

Obs. Quamquam *Ant. Gouani* descriptio ab hac mea differat, eandem plantam designasse mecum arbitror : vidi enim exemplar siccum quod ipse misit ad *D. de Jussieu* : atque in eo reperi flores duplo et amplius majores quam in *Malva rotundifolia*, pedunculos foliis breviores, calycemque exterio-  
monophyllum, non vero ex tribus foliolis ovatis acutis ut ipse asseverat, alias enim non ad *Lavateras*, sed ad *Malvas* esset amandanda hac species.

\* \* CAULIS HERBACEUS.

153. LAVATERA THURINGIACA. *Lin.* (Tab. XXXI. f. 3.)

L. Foliis inferioribus cordatis crenatis subrotundo-lobatis; summis hastatis; pedunculis longis solitariis unifloris.

L. Caule herbaceo; fructibus denudatis, calycibus incis. *Lin. Sp. pl. n°.* 7. *Hort. Ups.* 203.

*Althea Thuringiaca gradiflora. Dill. Elth.* 9. T. 8.

Caulis herbaceus, ramosus.

Folia inferiora cordata, crenata, subrotundo-lobata : superiora hastata, breviter petiolata. Stipulae lanceolatae.

Flores axillares, solitarii, pedunculati; pedunculis folio longioribus.

Calyces subtomentosi : exterioris laciniae cordatae, acumine acutissimo terminatae; interioris oblongae, acutae.

Corolla magna patens, subviolacea; petalis emarginatis.

Capsulae sub 14. in orbem circa columnam acumine terminatam.

Reliqua ut in praecedenti.

Habitat in Pannonia, Tartaria, Suecia, Germania, &c. ad sepes. *H.*

*V. S. communicatam a D. de Jussieu.*

154. LAVATERA CRETICA. *Lin.* (Tab. XXXII. f. 1.)

L. Caule erecto scabro : foliis cordatis septemangulatis, superioribus acutis floribus confertis axillaribus; pedunculis erectis unifloris.

L. Caule erecto, ramis inferioribus diffusis, pedunculis confertis unifloris; foliis lobatis, superioribus acutis. *Lin. Spe. pl. n°.* 8. *Hort. Ups.* 202. *Jacq. Hort. T.* 41.

*Malva cretica* annua altissima, flore parvo ad alas umbellato. *Tournef. Cor.* 2.

Radix fibrosa, fibris crassis, pedalibus, quae innumeris aliis capillaribus scatent.

Caulis teres, scaber, quinquepedalis, ramosus, ramis inferioribus diffusis.

Folia longe petiolata, mollissima, tomentosa, dentata, septemangulata; superiorum angulis acutioribus. Stipulae lanceolatae, ciliatae, arcuato-erectae.



Flores axillares, quatuor fere in singulis axillis, pedunculati; pedunculis erectis, unifloris.

Calyx exterior cyathiiformis, laciniis ovatis: interior paulo longior, supra pentagonus, laciniis lanceolatis.

Corolla calyce duplo longior dilute cœrulea; petalis oblongis emarginatis.

Germen rotundo-compressum, decemsulcatum: stylus simplex; stigmata decem.

Fructus glaber intra calycem. Capsula decem circa columnam hemisphærio terminatam, in cuius apice acumen exstat minimum: quæ fructu maturo evanescunt, remanentibus tunc capsulis nigris in orbem positis, foramine interjecto in earum centro.

*Habitat in Creta.* ☉. *Habui florentem mensibus Junio, Julio, Augusto. Colitur in R. h. P.*

155. LAVATERA TRIMESTRIS. *Lin.* (Tab. XXXI. f. 2.)

L. Caule herbaceo scabro, foliis inferioribus subtrotundis; mediis quinquelobatis acutis; summis lobo medio longiore: fructibus orbiculo tectis.

L. Caule scabro herbaceo, foliis lanceolatis, pedunculis unifloris, fructibus orbiculo tectis. *Lin. Spec. plant. n.º. 9. Hort. Ups. 203.*

Malva folio vario. *Bauh. pin. 315. prod. 137. T. 137.*

Lavatera foliis cordato-obtusis quinquelobis radice annua, fructu operculato. *Trigueros. Specim. Floræ Carm.*

L. Foliis ovalibus angulatis trilobis, valde villosis, radice perenni. *Idem ibid.*

Lavateræ à grandes fleurs. *Lamarck, Floræ Franç. n.º. 755. §. 1.*

Radix napiformis, mediocris, alba, barbibus patulis.

Caulis teres, scaber, bipedalis, ramosus, ramis inferioribus fere horizontalibus.

Folia crenato-dentata, glabra, longe pedunculata, sensim versus apicem angustiora, acutiora. Stipulæ ovato-lanceolatæ, ciliatæ, arcuato-rectæ.

Flores pulcherrimi, solitarii, axillares, pedunculati; pedunculis petiolo brevioribus.

Calyx exterior semi-trifidus, laciniis carinatis: interior major, laciniis lanceolatis, margine crispis.

Corolla magna, campanulato patens; dilute incarnata, lineis albicantibus notata, petalis supra latioribus, crenatis, sæpe revolutis; unguium marginibus saturate purpureis.

Stamina numerosa: antheræ reniformes.

Germen subhemisphæricum, glaberrimum: stylus multifidus: stigmata dilute incarnata, tubo longiora, fasciculata 13-18.

Tubus basi pentagonus albus, supra purpureus. Ibi exstant quinque cellulæ perpendiculares, antice fissæ.

Fructus hemisphæricus, inferne convexus, supra operculo tectus circulari, concavo, glabro.

*Habitat in Syria, Hispania, Gallia Narbonensi.* ☉. *Habui florentem mensibus Julio, Aug. Sept. Colitur in R. h. P.*

*Species multum varia, idque constanter. An varietates? an specie diversa, ea præsertim quæ radice annua et perenni differunt?*

*In vasis etiam parvulis optime conservantur si quotidie et copiose irrigentur, quibus cubacula ornari possunt floribus speciosis atque numerosis, idque per quindecim dies et amplius.*

---

## PARS VII,

### ALTHÆAS COMPLECTENS.

---

#### ALTHÆÆ CHARACTER PROPRIUS.

Calyx exterior 6-9 fidus. Reliqua ut in Malva.

\* *Capsula margine membranaceo sulcato circumdata.*

156. ALTHÆA ROSEA. (Tab. XXVIII. f. 1.)

A. Caule erecto: foliis rugosis, cordatis 5-7-angularis crenatis.

Alcea foliis sinuato angulosis. *Lin. Spec. pl. Gener. Alc. n.º. 1.*

Malva rosea folio subrotundo. *Bauh. pin. 315.*

Malva hortensis. *Dod. Pempt. 652.*

Alcée rose. *Lamarck, Encyc. n.º. 1.*

Caulis erectus, crassus, pilosus, inferne ramosus, 4-6-pedalis, spica florum longissima terminatus.

Folia petiolata, cordata, 5-7-angulara, angulis sæpe obtusis, crenatis, mollia, rugosa, nervis septem protuberantibus: quæ vero sub singulis floribus reperiuntur, parva, ovato-trilobata, lobo medio productiore. Stipulæ latæ, laciniatæ, laciniis 3-4 lanceolatis inæqualibus, ciliatis, marcescentibus.

Flores axillares subsolitarii, breviter pedunculati, spicati, corolla explicata declinati.

Calyces tomentosi: exterior hemisphæricus 5-8-fidus: interior duplo longior, laciniis in utrisque lanceolatis.

Corolla rosea, maxima, patens: petalis latissimis, subcrenatis: unguibus crassis, villosis, angustatis.

Stamina, filamenta alba, numerosissima per tubi superficiem et apicem sparsa, quorum nonnulla in petala abeunt sæpissime, quum flos est multiplex: antheræ parvæ.

Germen orbiculato-compressum, multisulcatum, subtomentosum. Stylus brevis columnaris. Stigma numerosa, alba, oblonga, revoluta.

Fructus magnus intra calycem auctum : capsulae numerosae ( subtriginta ) reniformes, compressae, membrana profunde sulcata, circumdatae : semen reniforme nigrum.

*Habitat in Oriente.* ♂. *Habui florentem a mense Junio usque ad Octob. Colitur in R. h. P.*

157. ALTHAEA FICIFOLIA. (Tab. XXVIII. f. 2.)

A. Caule erecto : foliis inferioribus palmatis-7-lobatis crenatis : superioribus hastatis.

Alcea foliis palmatis. *Lin. Sp. plant. Gen. Alc. n°.* 2.

Alcée à feuilles de figuier. *Lamarck, Encyc. n°.* 2.

Malva rosea folio ficus. *Bauh. pin.* 315.

Malva rosea peregrina folio ficus obscure viridi. *Moris. Hist. plant. pag.* 524. n°. 22.

Caulis piloso-scaber, teres, orgialis, spica florum longissima terminatus.

Folia inferiora magna, longissime petiolata, petiolis prope folia incrassatis, palmata, in septem lacinias semi-partita : lacinae crenatae, apice obtusae. Media 5-lobata, profundius fissi; suprema hastata, crenato-dentata : omnia atro-viridia, subtus albicantia. Stipulae latae, trifidae, laciniis acutis.

Flores bini axillares, breviter pedunculati.

Corolla lutescens.

Reliqua ut in praecedenti.

*Habitat in Siberia.* ♂. *V. V. floret eodem tempore ac Alth. rosea. Colitur in R. h. P.*

Obs. *Flores quandoque subrosei.*

158. ALTHAEA SINENSIS. (Tab. XXIX. f. 3.)

A. Caule erecto glabro, inferne ramoso : foliis cordatis scabris crenatis angulatis, radice annua.

Alcée de la Chine. *Lamarck, Encyc. n°.* 3.

Caulis teres 3-4-pedalis per totam fere longitudinem floridus, inferne ramosus, ramis suberectis.

Folia petiolata, petiolo prope folium sursum incurvo; scabra, cordata; crenata; inferiora subrotundo-7-angulata : superiora 5-lobata, lobo medio productiore. Stipulae laciniatae.

Flores laxae spicati, axillares, saepe bini, magni, pulcherrimi, multiplices.

Calyces tomentosi : exterior globosus 6-8-fidus laciniis lanceolatis; interior duplo longior.

Corolla maxima ex pluribus petalis, quinque gradatim positis, roseis, apice purpureis, crenatis, unguibus villosis.

Reliqua ut in praecedentibus.

*Habitat in China.* ☉. *V. V. florentem apud me a mense Augusto ad Novemb. Colitur in R. h. P. nomine ALCÆE SINENSIS.*

*Quamquam humilior praecedentibus, ipsas superat pulchritudine.*

Obs. *Omnium primus*; quod sciam, hanc plantam descripsit D. de Lamarck loco supra citato, qui et calycis exterioris lacinijs novem numeravit.

## 159. ALTHÆA COROMANDELIANA.

A. Folijs subtriangularibus crenatis obtusis quinque-nerviis subtrilobis: floribus incarnatis simplicibus solitariis.

Tchima toutti apud Indos. *Comm. herb.*

Caulis herbaceus, tomentosus ut et tota planta.

Folia petiolata, petiolis subæqualia (quæ vidi), subtriangularia, crenata, obtusa, obscure triloba. Stipulæ breves.

Flores axillares, solitarii, subsessiles.

Calyx exterior sexfidus: interior duplo longior semi-quinquefidus, lacinijs lanceolatis.

Corolla magna, patens, incarnata; petalis quinque lato-oblongis, unguibus angustatis; et inter singula prodeunt calycis laciniæ.

Stamina brevija, numerosa, tubi rubri superficiem tegentia: antheræ luteæ.

Germen. . . . Stigmata purpurea, numerosa, revoluta, tubo longiora.

Fructus deerat.

*Habitat in Pondicheri. V. S. unicum exemplar apud D. de Jussieu, in herbario Commersonio.*

*Tabulæ erant incisæ quum hoc exemplar examinavi.*

## 160. ALTHÆA ACAULIS. (Tab. XXVII. f. 3.)

Alt. caule crasso minimo: folijs numerosis, floribus spicatis.

Alcea chalepensis. R. h. P. *Cat. mss.*

Malva rosea folio subrotundo chalepensis acaulos, flore pallide luteo. *Moris. Hist. plant. p. 524. n<sup>o</sup>. 21.*

Ex eadem radice varii prodeunt caules a duobus ad sex pollices alti, divaricati, firmi, erecti, digiti crassitie, subtomentosi, ut et tota planta.

Folia longe petiolata, numerosa, crenata, rugosa, cordata, rotundato-lobata, lobis conspicuis in folijs teneribus; in reliquis, oblitteratis. Stipulæ latæ, acuminatæ, ciliatæ.

Flores axillares, solitarii, in spicam conglomerati, breviter pedunculati.

Calyces tomentosi; exterior hemisphæricus, sexdentatus; interior globoso-acuminatus, supra pentagonus, striatus, semi-quinquefidus.

Corolla ex petalis quinque pallide luteis unguibus villosis angustis, supra latis, emarginatis.

Stamina filamenta numerosa: antheræ reniformes.

Germen subrotundo-compressum, sulcis sub 24 notatum.

*Habitat. . . . ⊙. V. V. in R. h. P.*

*Flores explicari non potuerunt hoc anno. Capsulæ tamen die 24 Octobris erant magnitudinis figura f.*

\* \* CAPSULÆ ABSQUE MARGINE MEMBRANACEO

161. ALTHÆA OFFICINALIS. *Lin.* (Tab. XXX. f. 2.)

Al. Caule erecto tomentoso: folijs cordatis obsolete lobatis tomentosis.

Alt. Foliis simplicibus tomentosis. *Lin. Spec. plant. Gen. Alth. n°. 1.*

Al. Dioscoridis et Plinii. *Bauh. pin. 315. Tournef. 76.*

Guimauve officinale. *Lamarck, Flor. Franç. n°. 761. §. 1.*

Caulis teretes, tomentosi, ut et tota planta, 3-4-pedales, erecti.

Folia cordata, lato-oblonga, obtuse lobata, crenato-dentata, subplana. Stipulæ sublineares, arcuato-erectæ, deciduæ.

Flores glomerati in racemis axillaribus: flos quilibet breviter pedunculatus.

Calyx exterior novemfidus, laciniis lanceolatis: interior longior, laciniis acutis.

Corolla dilute violacea, patens, petalis emarginatis.

Stamina filamenta plurima, purpurea, dimidiam tubi superficiem occupantia: antheræ violacæ, reniformes.

Germen subrotundo compressum, sulcatum: stylus multifidus: stigmata alba, fasciculata.

Fructus (germinis figura) intra calycem. Capsulæ quamproxime 16.

*Habitat in Hollandia, Angliæ, Galliæ, &c. subhumidis. ℥. Habui florentem mensibus Julio, Augusto, Sept. Colitur in R. h. P.*

*Totius plantæ ac radicum usus officinalis adeo est omnibus notus, ut de ipso loqui supervacaneum putem. Economicus vero magni quidem est. Caulium enim fibra ab invicem separata, cannabina methodo, fila præbent mollia, subtilia, fortia, candida, quæ tincta postmodum ac rite parata materiam textoribus subministrant perutilem.*

162. ALTHÆA CANNABINA. *Lin. (Tab. XXX. f. 1.)*

Alt. Foliis inferioribus palmatis dentatis; superioribus hastatis, lacinia media longissima.

Alt. Foliis inferioribus palmatis, superioribus digitatis. *Lin. Sp. pl. n°. 2.*

Altea cannabina. *Bauh. pin. 316. Tournefort. 98.*

Guimauve à feuilles de chanvre. *Lamarck, Flor. Franç. n°. 761. §. 4.*

Caulis erectus, teres, subpilosus, ramosus, orgialis.

Folia breviter petiolata, dentata, glabra: inferiora palmata, profundissime quinquepartita: superiora hastata. Stipulæ lanceolatae, lineares, incurvæ.

Flores axillares, longissime pedunculati, gemini; pedunculorum alter uniflorus; alter biflorus, aut ramosus.

Calyx exterior 7-9-fidus laciniis lanceolatis acutis: interior major pentagonus, laciniis apice acuminatis.

Corolla rosea, campanulato-patens, petalis crenatis.

Stamina purpurea ut et tubus: antheræ atro-purpureæ.

Germen ac reliqua ut in præcedenti.

*Habitat in Hungaria, Italia, Hispania, Gallia Narbonensi ad Sylvarum margines. ℥. V. V. in R. h. P. florentem mensibus Julio et Augusto.*

163. ALTHÆA NARBONENSIS. *H. R. P. (Tab. XXIX. f. 2.)*

Alt. Caule tomentoso: foliis cordatis dentatis, inferioribus angulatis acutis, superioribus subhastatis.

Alt. Foliis trilobis, superioribus subhastatis, leviter villosis. *Asso, Introd. in Oryctog. p. 175. n.º. 150. tab. 5. f. 1.*

Alt. Narbonensis. *Pourret herb. (Hic primus eam reperit prope Narbonam, atque nominavit.)*

Caulis tomentosus, teres, ramosus, tripedalis.

Folia cordata, dentata, villosa: inferiora angulata, angulis subquinque, latis; acutis; superiora subhastata, lacinia media productiore. (Nonnulla praesertim tenera sunt cordato-oblonga, dentata indivisa.) Stipulae lanceolatae.

Flores axillares, solitarii, pedunculati, pedunculis petiolo longioribus, e quorum parte superiore pedunculus alius prodiit uniflorus.

Calyx exterior 8-9fidus, laciniis ovato-acutis: interior paulo major semi-quinquefidus.

Corolla dilute violacea; petalis obcordatis.

Stamina: filamenta plurima per tubi superficiem superiorem sparsa: antherae reniformes.

Germen orbiculato-compressum, sulcatum: stylus multifidus: stigmata oblongiuscula.

Fructus intra calycem. Capsulae 14 transverse sulcatae.

*Habitat in Gallia Narbonensi et in Hispania circa Oscam. ℥. V. V. apud me florentem mense Augusto, Septemb. Colitur in R. h. P.*

164. ALTHÆA HIRSUTA. *Lin. (XXIX. f. 1.)*

Alt. Foliis cordatis piloso-hispidis supra glabris: radicalibus numerosis subrotundo-lobatis, caulinis trilobis, et quinquelobis; pedunculis solitariis unifloris.

Alt. Foliis trifidis, piloso-hispidis, supra glabris, pedunculis solitariis unifloris. *Lin. Sp. pl. n.º. 3. Hort. Cliff. 349.*

Alt. Foliis radicalibus reniformibus, caulinis palmatis trilobis, et quinquelobis, calycibus hispidis. *Hall. helv. n.º. 1073.*

Alt. hirsuta. *Tournefort. 98.*

Alcea villosa. *Bauh. hist. 2. p. 1067.*

Guimauve velue. *Lamarck, Flore Franç. n.º. 751. §. 3.*

Caules plures ex eadem radice herbacei hispidi (ut et tota planta, paginis foliorum superioribus exceptis) diffusi, ramosi, bipedales.

Folia cordata, piloso-hispida, supra glabra, crenato-dentata: radicalia numerosa, longissime petiolata, subrotundo 5-7-lobata, lobis crenatis; caulina 3-5loba, lobis oblongis, obtusis, dentatis. Stipulae ovato-acutae, hispidae.

Flores axillares, solitarii, pedunculati; pedunculis petiolo longioribus.

Calyx exterior octofidus, laciniis profundioribus acutis: interior paulo major, laciniis acutissimis.

Corolla dilute purpurascens albicans, parum aperta, calyci subaequalis, petalis crenulatis.

Stamina, filamenta numerosa, per superficiem tubi albi glabri quasi verticillatim sparsa: antherae parvae subreniformes.

Germen orbiculato-compressum, 13 sulcis notatum: stylus supra 13fidus. Stigmata incurva.

Fructus intra calycem, ipsoque multo minor. Capsulæ tot quot stigmata; glabræ, nigræ.

*Habitat in Gallia, Austria, Italia sepibus et passim in Hispania.* ☉.

*Habui florentem mensibus Octobri et Novemb. Colitur in R. h. P.*

*Calycem exteriorem 7-fidum observavit sapissime D. Trigueros. Stigmatum ac capsularum proinde numerus variat.*

165. ALTHÆA LUDWIGII. *Lin.* (Tab. XXX. f. 3.)

Alt. Caule erecto, foliis subrotundo-quinque lobatis, lobis tricrenatis; floribus minimis congestis pedunculatis.

Alt. Foliis lobatis, utrimque nudis, pedunculis congestis unifloris. *Lin. Spec. plant. n<sup>o</sup>. 4.*

Caulis erectus vix pedalis, subglaber.

Folia longe petiolata, subcordata, rotundato-quinquelobata, lobis tricrenatis.

Stipulæ ovato-acute, ciliatæ.

Flores congesti, axillares, pedunculati; pedunculis unifloris petiolo brevioribus.

Calyx exterior monophyllus, novemfidus, laciniis acutis: interior ejusdem fere magnitudinis semiquinque partitus, laciniis lanceolatis, fructifer lanatus, aut si mavis, villis albis hirsutissimus.

Corolla calyci subæqualis, alba, vix aperta, petalis subrotundis.

Stamina filamenta 10-12 in summitate tubi albi brevissimi: antheræ reniformes.

Germen orbiculato-compressum, sulcatum: stylus simplex, brevis, subdecemfidus, stigmata corolla longiora, contorto-revoluta, subvillosa.

Fructus intra calycem lanatum, basi auctum. Capsulæ subdecem, glabræ.

*Habitat in Sicilia.* ☉. *V. V. florentem apud me mensibus Julio, Augusto. Colitur in R. h. P.*

*Nota. Meæ observationes valde discrepant a Linneanis loco supra citato: ibi enim dicit Cl. Auctor, Althæam Ludwigii tota facie referre Malvam Alceam ut ovum ovo, quod longe diversum reperi. Folia enim in M. Alcea multoties majora, profundiusque fissa, tum etiam et acutissima sunt, ut in meis tabulis poterit observari, quod minime huic Althææ correspondet: ad hæc, pedunculos dicit petiolorum longitudine, quos ego brevissimos vidi; calyx denique exterior secundum Cl. Lin. est octofidus quem ego 9-fidum reperi. Fortasse exemplaria que colui, varietates erunt Althææ Linnei.*

---

P A R S V I I I ,  
M A L A C H R A S C O M P L E C T E N S .

---

M A L A C H R Æ C H A R A C T E R P R O P R I U S .

Calyx fere semper triplex: communis; involucriformis ex tribus, quinque aut pluribus foliis majoribus quam florum capitula: partialis exterior, polyphyllus ex 8-11 foliolis linearibus aut setis: interior ceteris brevior monophyllus semi-quinque-partitus.

Stylus simplex apice decem-partitus. Capsulæ quinque, monospermæ, in orbem positæ.

Flores capitati. Reliqua ut in Malva.

166. MALACHRA CAPITATA. *Lin.* (Tab. XXXIII. f. 1.)

M. Caule erecto scabro: foliis cordatis subrotundo-angulatis denticulatis rigidis: calyce communi triphylo, septem-floro.

M. Capsulis pedunculatis triphyllis septem-floris. *Lin. Spec. plant. n<sup>o</sup>. 1. Sida capitata Sp. 2. p. 965. Act. Ups. 1743. p. 137. T. 2.*

Caulis crassus, erectus, bipedalis, scaber ut et tota planta, pilis aliquot fasciculatis, aut stellatis.

Folia pedunculata, cordata, subrotundo-quinque angulata, denticulata: tenera plana; reliqua nonnihil concava. Stipulæ quatuor aut sex subulatæ, arcuato-erectæ.

Flores aggregati pedunculati: pedunculi communes bini, axillares, hinc inde positi, erecti: flos quilibet sessilis.

Calyx communis ex tribus foliolis subtriangulati-auriculatis, rigidis, acutis; subcanaliculatis, petiolis brevibus, in pedunculi communis apice in unum coalitis: ad uniuscujusque petioli basim stipulæ subulatæ, et altera ad punctum ubi in unum coeunt.

Calyx proprius unicus, monophyllus, semi-quinquefidus, laciniis lanceolatis, apice setosis; setis albis.

Corolla patens, flava, petalis subrotundis, integerrimis.

Stamina filamenta plurima per tubum album sparsa: antheræ reniformes, saturatæ luteæ.

Germen globosum, quinque sulcatum: stylus simplex tubo longior, supra decemfidus, stellatus. Stigmata globosa.

Fructus intra calycem: capsulæ quinque, extus subrotundæ, intus angulatæ; subtus acuminatæ. Semina solitaria, nigricantia, capsularum figura.

*Habitat in Caribeis locis paludosis. ☉. Habui florentem a mense Septembri Colitur in R. h. P. Flores semel aperiuntur sex aut octo horarum spatio.*

☉



*Varietatem vidi siccam apud D. de Jussieu, cujus folia sunt subquinque-lobata ut in figura 2. dictæ tabulæ, cui convenit descriptio et figura P. Car. Plumierii, scilicet:*

Malacoides altera hirsutissima flore luteo.

Malacoides tota villosa flore luteo. *Plum. lib. 4. f. 18.*

Malva frutescens hirsuta; floribus luteis in capitulum congestis. *Plum. Sp. 2. ic. 169. f. 1. Burm.*

167. MALACHRA RADIATA. *Lin. (Tab. XXXIII. fig. 3.)*

M. Caule urente hirsutissimo: foliis palmatis calyce communi 5-6-phyllo multifloro, floribus ebracteatis.

M. Capitulis pedunculatis pentaphyllis multifloris, foliis palmatis. *Lin. Sp. plant. n<sup>o</sup>. 2. Sida radiata. Sp. pl. 2. p. 965.*

Malacoides palustris hirsutissimo folio palmata. *Plumier manus. 4. fig. 17.*

Malacoides altera hirsutissima. *Eiusdem.*

Radix fusiformis, acuminata, recta, fibris longis villosis.

Caulis teres, tener, viridi-albicans, pilis pungentibus, rufis vestitus (ut et tota planta) ramosus, altitudinem humanam superans.

Folia palmata in quinque ut plurimum laciniis divisa, crenata, hirsuta, lativirentia. Stipulæ. . . .

Flores aggregati multi in summitate pedunculi axillaris solitarii, longi.

Calyx triplex: communis ex quinque aut sex foliolis inæqualibus, oblongis, acuminatis, infra ampliatis, dentatis, brevissime petiolatis, in extremitate pedunculi communis concurrentibus.

Partialis exterior ex octo fere (*bracteis Plum.*) foliolis linearibus, angustis, acutis, interior monophyllus, semi-quinque-partitus.

Corolla purpurascens vix pollicis diametri; petalis subrotundis crenulatis.

Tubus coccineus.

Fructus rotundus, rugosus. Capsulæ quinque, monospermæ. Semen angulosum, nigricans.

*Habitat in paludosis Insulæ Sancti-Dominici. Floret mense Decembri.*

*Nullibi hanc speciem vidi vivam aut siccam: figuram tamen ac descriptionem ex Plumierii manuscriptis desumpsi asservatis apud D. de Jussieu.*

168. MALACHRA BRACTEATA. (Tab. XXXIV. f. 2.)

M. Caule urente: foliis palmatis: capitulis multifloris: floribus minimis bracteatis.

Malva villosa spondifolio, flore parvo ex-albido. *Barrer. Fr. Æquin. 73.*

Caulis ut et tota planta hirsutissimis, pilis rufis urentibus numerosis.

Folia longe petiolata, cordata, subrotundo-palmata, crenata, lobis septem profundis acuminatis. Stipulæ capillares, villosæ.

Flores aggregati plures (14 fere) in summitate pedunculi solitarii axillaris, folio longioris. Flos quilibet breviter pedunculatus, ac fere semper ornatus bractea foliosa, subrotundo-acuta.

Calyx triplex:

*Communis* ex sex aut pluribus foliolis brevibus, inæqualibus, ovato-acutis, denticulato-serratis.

Partialis exterior ex undecim setis villosis, calyce interiore longioribus. Interior monophyllus; semi-quinquefidus, parvus, hirsutus.

Corolla vix calyce major albicans, in fundo striis rubris notata, quinque-crenata. An quinque-petala?

Stamina in superficie et summitate tubi: antheræ subrotundæ.

Germe globosum? Stylus simplex apice 8-10-fidus. Stigmata revoluta.

Fructum non vidi nisi inchoatum, isque erat minimus, subovatus, striis quinque (fortasse capsulis, quum ad maturitatem pervenerit.)

*Habitat in America. V. S. apud D. de Jussieu. Unicum exemplar.*

Observ. *Plantula, quam in dissertatione de Sidis Sidam plumosam dixi, inter Malachras collocari aliquando poterit, quum quisque vivam examinando, id habere reperiat, quod huius generis characteribus convenit. Ego interea candide fateor, foliorum veluti coronam, aut involucrem, tum et plumulas numerosas suspicionem non parvam mihi attulisse tunc temporis, num Malachris potius quam Sidis esset annumeranda.*



# TABULARUM EXPLICATIO.

Litteræ m. n. denotant magnitudinem naturalem, verbi gratia dimidium m. n. significat dimidium magnitudinis naturalis : ubi nullum est signum , ibi magnitudo repræsentatur naturalis.

*Numeri initiales , figurarum numeros designant ; qui vero in fine reperiuntur , numeros Dissertationi respondententes.*

## TABULA XIV.

1. Summita Sidæ mollissimæ , magnitudine naturali multo minor. 67  
*a* Flos integer. *b* Calyx. *c* Fructus integer.  
*d* Capsula cum tribus seminibus.
2. Sidæ exstipularis pars. 91  
*e* Calyx subtus inspectus. *f* Fructus intra calycem. *g* Capsula. *h* Semen.
3. Sidæ vesicariæ pars. 89  
*k* Flos integer. *l* Genitalia. *m* Germen cum stylis. *n* Fructus.

## XV.

- 1 Portio Malvæ Caroliniæ. 94  
*a* Fructus. *b* Capsula clausa. *c* Eadem aperta ut appareant loculamenta. *d* Germen.
2. Malva stipulacea. 101
3. Malva Papaver. 102

## XVI.

1. Malva elegans. 96  
*a* Fructus. *b* Capsula. *c* Semen.
2. Malva Abutiloides m. n. paulo minor. 97  
*d* Fructus. *e* Capsula. *f* Semen.
3. Malva prostrata. 95  
*g* Fructus. *h* Capsula clausa. *i* Eadem aperta. *k* Semen.

## XVII.

1. Malva Ægyptia. 98  
*a* Fructus. *b* Capsula. *c* Semen.
2. Malva Alcea. 125  
*d* Calyces. *e* Tubus cum staminibus. *f* Germen, stylus , stigmata. *g* Fructus. *h* Capsula. *i* Semen. *k* Folium inferius.
3. Malva Tournefortiana. 122

## XVIII.

1. Malva Moschata. 126  
*a* Folium inferius. *b* Genitalia. *c* Calyces.
2. Malva virgata. 115
3. Malva spithamea , integra. 99
4. Malva lobata. 127

## XIX.

1. Summitas Malvæ Peruvianæ. 111  
*a* Flos integer. *b* Corolla.
2. Summitas Malvæ Limensis. 112  
*c* Corolla. *d* Fructus. *e* Capsula.
3. Malva Hispanica. 100  
*f* Fructus intra calycem inflatum. *g* Idem extra calycem. *h* Capsula.

## XX.

1. Malva Cuneifolia. 103

2. Malvæ ovatae summitas. 137  
*a* Calyx exterior. *b* Interior. *c* Fructus. *d* Capsula. *e* Petalum.
3. Malva angustifolia. 104  
*e* Fructus. *f* Capsula. *g* Semen.
4. Malva spicata. 136  
*h* Calyx exterior. *i* Interior fructum continens. *k* Fructus. *l* Capsula. *m* Petalum.

## XXI.

1. Malva retusa. 120  
 2. Malva tridactylides. 121  
*f* Genitalia. *g* Germen cum stylo et stigmatibus. *h* Fructus. *i* Capsula. *k* Semen.
3. Malva Subhastata. 119  
*a* Calyces. *c* Fructus. *d* Capsula. *e* Semen.
4. Malva Scoparia. 106  
*p* Corolla. *q* Calyces. *r* Genitalia. *s* Germen, Stylus, Stigmata. *t* Calyx fructum continens situ naturali. *u* Capsula.

## XXII.

1. Malva Bonariensis. 114  
*a* Calyces.
2. Malva Americana. 135  
*b* Folium inferius. *c* Petalum. *d* Calyx exterior. *e* Interior. *f* Fructus. *g* Capsula. *h* Semen.
3. Varietas Malvæ Virgatæ. 115 *in fine*.  
*i* Fructus. *k* Capsula. *l* Semen.
4. Malva Calycina. 138  
*m* Calyx exterior. *n* Interior. *o* Genitalia. *p* Fructus. *q* Capsula.

## XXIII.

1. Malvæ Crispæ pars, m. n. multoties minor. 123

*a* Calyx interior. *b* Exterior. *c* Fructus. *w* Capsula. *e* Petalum.

2. Malva fastigiata. 124  
*f* Fructus. *g* Capsula.
3. Malva Fragrans. 118  
*h* Calyces. *i* Fructus. *k* Capsula.

## XXIV.

1. Malva virgata qualiter exstat apud Dillen. 115
2. Malva grosulariæfolia, sub qua exstat folium m. n. 116  
*a* Fructus. *b* Capsula. *c* Semen.
3. Malva Capensis. 117  
*d* Flos integer. *e* Calyx exterior qui sæpe est tetraphyllus. *f* Interior. *g* Genitalia. *h* Fructus. *i* Capsula. *k* Semen.

## XXV.

1. Malva Nicensis. 134  
*a* Calyces. *b* Fructus. *c* Capsula. *d* Semen.
2. Malva Mauritiana, m. n. multo minor. 130  
*n* Calyces. *o* Fructus.
3. Malva verticillata, m. n. minor. 132  
*e* Flos integer. *f* Petalum. *g* Genitalia. *h* Fructus.
4. Malva Sinensis. 129

## XXVI.

1. Malva Parviflora. 110  
*a* Calyces. *b* Petalum. *c* Fructus. *d* Capsula. *e* Semen.
2. Malva Sylvestris, m. n. multo minor. 131
3. Malva rotundifolia. 133
4. Malva Sherardiana. 109

*f* Flos integer. *g* Fructus. *h* capsula. *k* Semen.

## XXVII.

1. Malope Malacoides. 143  
 2. Malope Trifida. 144  
*a* Calyx exterior. *b* Interior. *c* Fructus intra calycem. *d* Ipse extra illum. *e* Capsula.  
 3. Althæa Acaulis. 160  
*f* Calyces.

## XXVIII.

1. Althæa Rosea, m. n. multoties minor. 156  
*a* Calyx revolutus ut genitalia appareant. *b* Fructus. *c* Capsula. *d* Semen.

2. Althæa Ficifolia, m. n. multoties minor. 157

## XXIX.

1. Althæa Hirsuta. 164  
*a* Folium inferius. *b* Calyx exterior. *d* Interior corollam continens. *c* Petalum. *e* Genitalia. *f* Fructus. *o* Semen.

2. Althæa Narbonensis. 163  
*m* Calyces. *n* Fructus. *s* Capsula.

3. Althæa Sinensis, m. n. multoties minor. 158  
*r* Fructus. *v* Capsula.

## XXX.

1. Althæa Cannabina. 162  
*a* Fructus. *b* Capsula.  
 2. Althæa Officinalis, m. n. duplo minor. 161  
*c* Calyces. *d* Genitalia. *e* Fructus. *f* Capsula. *g* Semen.  
 3. Althæa Ludwigii. 165  
*h* Calyces. *i* Petalum. *k* Genitalia. *l* Fructus. *m* Capsula.

## XXXI.

1. Lavatera Triloba. 149  
*a* Calyces. *b* Fructus. *c* Capsula. *d* Semen.  
 2. Lavatera Trimestris, sub qua est folium inferius. 155  
*e* Calyces. *f* Genitalia. *g* Germen, stylus, stigmata. *h* Fructus operculatus. *i* Capsula.  
 3. Lavatera Thuringiaca, sub qua est folium inferius. 153

- m* Calyx exterior. *n* Fructus. *o* Capsula. *p* Semen.

## XXXII.

1. Lavatera Cretica. 154  
*a* Calyces. *b* Exterior. *c* Fructus. *d* Capsula. *e* Semen.

2. Lavatera Olbia. 148  
*f* Calyx exterior. *g* Genitalia. *h* Germen, stylus, stigmata. *i* Fructus. *k* Capsula. *l* Eadem sine semine. *m* Semen.

3. Lavatera Maritima. 152  
*n* Calyces. *o* Fructus. *p* Capsula.

## XXXIII.

1. Malachra Capitata. 166  
*a* Calyx communis. *b* Calyx proprius. *c* Germen, stylus, stigmata. *d* Fructus intra calycem. *e* Capsulae quinque superius spectatae. *f* Capsula unica.

2. Folium Malachrae, quæ varietas esse potest præcedentis.  
 3. Malachra Radiata, m. n. minor. 167  
*g* Calyces duo persistentes, interior et medius. *h* Capsula. *k* Semen. *o* Flos integer.

## XXXIV.

1. Sida Brasiliensis, de qua actum est in dissertatione de Sidis. 28

- 2. Malachra bracteata. 168
- 3. Malva Abulensis. 128
- α Folium inferius.

XXXV.

7. Summitas Malvæ Operculatæ. 105

a Calyces. b Germe cum stylo et stigmatibus. c Idem, tubo cinctus stamina sustinente. d Fructus cum operculo. e Fructus sectio.

- 2. Malva Acaulis. 141
- 3. Senra Incana (\*). 142

f Fructus. g Capsula. h Semen.

i Flos integer. l Calyx exterior expansus ut interior appareat cum membranis m. n Calyx interior. p Germe, stylus, stigmata. q Idem tubo obductum, membranis suffultum. r Fructus. s Semen. R Fructus auctus. S Semen auctum.

(\*). *Errore usque scriptum est SERRA pro SENRA.*

EXTRAIT des Registres de l'Académie Royale des Sciences, du  
premier Mars 1786.

NOUS avons examiné, par ordre de l'Académie, une seconde Dissertation latine et botanique de M. l'Abbé CAVANILLES, sur plusieurs genres de la famille des Mauves, qui sont le *Malva*, le *Malope*, le *Lavatera*, l'*Althæa* et le *Malachra*.

Dans le préambule, l'Auteur, après avoir fait quelques observations générales sur chacun de ces genres, annonce une troisième suite de ce travail, qui embrassera plusieurs autres genres analogues, dont il donne d'avance un aperçu pour prendre date de ses recherches. Il présente aussi, en forme de Supplément, des descriptions plus exactes de quelques espèces de *Sida*, déjà consignées dans sa première Dissertation; il fait mention des usages auxquels sont employées quelques-unes, et des expériences qu'il a faites pour déterminer l'utilité de plusieurs autres. On verra sur-tout avec intérêt celles qu'il a tentées sur le *Sida Abutilon*, pour séparer son écorce de la partie ligneuse, et en tirer une filasse propre aux mêmes usages que celle du chanvre. Cet usage, déjà établi en Chine au rapport du P. d'Incarville, n'étoit point connu de M. Cavanilles, lorsqu'il a fait ses essais de culture, de rouissage et de filature du *Sida*; et l'on en peut conclure, ainsi que des faits énoncés par lui, que dans plusieurs lieux ce *Sida* peut être cultivé avec succès concurremment avec le chanvre. Il a aussi tiré une filasse plus ou moins parfaite de la Mauve frisée, et de quelques autres congeneres. La description de cinq nouvelles espèces de *Sida*, ajoutées aux quatre-vingt-deux de la première Dissertation, termine ce Supplément.

L'Auteur passe ensuite à l'objet principal de la Dissertation actuelle, et commence par le genre de la Mauve dont il admet, avec Linnée, le caractère générique principal, tiré des capsules disposées en anneau, et du calice extérieur ordinairement composé de trois folioles, et plus rarement de deux ou de quatre. Ses espèces sont au nombre de quarante-cinq, dont vingt-une nouvelles non décrites par les Auteurs. Il les subdivise d'après les capsules polyspermes ou monospermes. Les premières sont simplement au nombre de quatre, dont deux ont chaque capsule biloculaire, caractère qui jusqu'à présent n'avoit point été observé. La section des capsules monospermes est divisée d'après le nombre et la forme des folioles du calice extérieur. Le *Malope*, second genre de cette Dissertation, distinct du précédent par ses capsules ramassées en tête, et dont on ne connoissoit qu'une espèce, en a trois bien distinctes et caractérisées avec soin. Le troisième genre, connu sous le nom de *Lavatera*, contient dix espèces toutes connues antérieurement, que l'Auteur a successivement examinées et déterminées, mais sans y rapporter toute la synonymie ancienne, qui lui a paru douteuse, et qu'il eût été cependant utile de vérifier. Dans le genre suivant, nommé *Althæa*, M. Cavanilles a réuni avec raison l'*Althæa* et l'*Alcea* de Linnée, en observant que le fruit est le même dans les deux, et que le caractère du nombre des divisions du calice extérieur qui seroit à les distinguer, devient insuffisant, puisqu'il varie quelquefois dans l'un



et dans l'autre. Il ne compte que neuf especes déjà connues, dont quatre, qui sont les *Alcea* de Linnée, se distinguent seulement par leurs capsules à bords membraneux. Le dernier genre est celui du *Malachra*, distinct principalement par son enveloppe multiflore; il renferme trois especes, dont une seule est nouvelle, à moins qu'on n'y ajoute encore le *Sida Plumosa* de la premiere Dissertation, lequel, suivant M. Cavanilles, pourra, étant mieux connu, rentrer dans ce genre.

A ce travail sont jointes vingt-une planches bien gravées, contenant soixante-huit plantes malvacées, dessinées par l'Auteur, et accompagnées de Tables explicatives.

Il présente à la suite un autre genre nouveau, isolé, absolument différent, et faisant partie de la famille des Solanées, qu'il nomme *Triguera*, en restituant à celui qu'il avoit ainsi nommé, le nom de *Solandra*, déjà consacré dans des ouvrages antérieurs.

Ce nouveau *Triguera*, dont il cite deux especes, toutes deux originaires d'Espagne, a, selon lui, un calice à cinq divisions, une corolle monopétale irréguliere en cloche, plissée à son limbe, et découpée en cinq lobes inégaux, cinq étamines réunies à la base par une membrane dentée qui enveloppe le germe; celui-ci est surmonté d'un style terminé par un stigmate, et devient un brou à quatre loges, contenant chacune deux semences. Les feuilles sont alternes et les fleurs axillaires. Cette Description, que nous n'avons pu vérifier, est un peu incomplète, en ce que l'attache de quelques parties n'y est pas assez spécifiée. Nous invitons l'Auteur à réparer cette légère omission, et nous pensons d'ailleurs que cette seconde Dissertation, qui contient, comme la premiere, une suite de plantes nouvelles ajoutées aux anciennes déjà connues, mérite également d'être approuvée par l'Académie et imprimée sous son privilege.

Au Louvre, ce premier Mars 1786. Signé, FOUGEROUX DE BONDAROUX, A. L. DE JUSSIEU, et le CH. DE LAMARCK.

Je certifie le présent Extrait conforme à son original et au jugement de l'Académie. A Paris, ce six Mars mil sept cent quatre-vingt-six.

Signé, le Marquis DE CONDORCET.

---

# TRIGUERA (a).

## NOVUM PLANTÆ HISPANICÆ GENUS E FAMILIA SOLANACEA.

---

### CHARACTER GENERICUS NATURALIS.

Calyx quinquepartitus, persistens; laciniis lato-lanceolatis, erectis; infima dehiscente.

Corolla monopetala, campanulata, irregularis, quinquefida, lobis rotundatis.

*Tubus* brevissimus: *Faux* ampliata, ore semi-plicato, fere bilabiato, superiore brevior, plicato, reflexo; inferiore ventricoso, erecto, patulo.

Germen subrotundum, bisulcatum, cinctum et fere tectum margine membranaceo-parvo, quinquedentato, stamnifero, basi mellifluo. Stylus filiformis, staminibus paulo longior, erectus, subulatus: stigma brevissimum, subcapitatum.

Stamina, filamenta quinque, subæqualia, brevia, linearia, erecta, *Membrana* denticulis exterius inserta. Antheræ grandiusculæ, oblongæ, sagittatæ, compressæ, erectæ, in conum approximata.

Fructus: Drupa calyce contenta, sicca, membranacea, scariosa, rugosa, quadrilocularis. Receptaculum subrotundo-tetragonum; Dissepimenta loculorum membranacea, tenuissima, evanescentia. *Semina* cuilibet loculo nuculæ binæ, superior et inferior, subovata-compressæ, asperulæ, uniloculares monosperma: nucleo subrotundo, compresso.

### OBSERVATIONES.

1. *Fructus certissime drupa est, quamvis bacciformis, sicca et scariosa, verasque licet minutas nuces continet, epidermide osea nucleum includente.*

---

(a) In honorem amici mei D. Candidi Mariæ de Trigueros de Botanica bene meriti, qui hoc genus reperit in Bærica, descripsit, mecumque humanissime communicavit cuique plura alia debeo in hoc opusculo descripta.

Ne vero TRIGUERÆ nomen ullam pariat ambiguitatem, quum superiori anno idem alteri plantæ indiderim, sciant velim, me TRIGUERAM nominasse plantam, quam Commersonius primus reperit, descripsit, atque delineandam curavit, cui nomen PENTAPETES imposuit. Hæc certe novum genus constituerebat, ut ego dixi; at ignorabam tunc temporis, D. Solandri amicos, ut iacturam repararent, quam dignissimum hujus viri nomen fecerat (expunctum enim erat a filio Linnæi e generum catalogo, ut ex SOLANDRA, HYDROCOTILES species auget) plantam, quam ego TRIGUERAM dicebam, ipsos SOLANDRAM nominasse. Nunc vero lubentissime PENTAPETEM Commersonis, SOLANDRAM et ego nomino, et novam hodie plantam TRIGUEROS dico.

- II. *Drupa hæc, natura subrotunda et quadrilocularis, abortu variare solet, tum figura tum loculorum numero.*
- III. *Hujus generis species duæ, quæ dumtaxat hucusque cognoscuntur, sunt herbaceæ, annuæ, vix pedales. Florent mense maio: atque habitant in argillaceis Carmonæ, Hispalis, Cordubæ, et per totam fere inferiorem Bæticam; ubi eas reperit D. de Trigueros, qui exemplar siccum, semina, descriptionem atque observationes mihi humanissime communicavit.*
- IV. *Differt genus hoc ab Atropa Lin. corolla plicata, antheris approximatis, marginem membranaceo, drupa. A Physalide Lin. corolla non rotata, calyce fructus non inflato, margine membranaceo, drupa. A Nicandra D. Adansoni, floribus geminis, antheris approximatis, calyce, drupa. A Solano tandem, margine dicto, et drupa quadriloculari, nuculis, atque corolla campanulato-bilabiata. Hinc*

## CHARACTER GENERIS ESSENTIALIS.

Corolla plicata, campanulato-bilabiata: margo membranaceus germen cingens quinque-dentatus stamifer: antheræ approximate: drupa sicca, quadrilocularis, loculis dispermis.

## SPECIES.

## I. TRIGUERA AMBROSIACA. (Tab. A.)

T. Foliis decurrentibus, obovatis serratis villosis. *Trigueros, Specim. Flora Carm. mss.*

Cotyledones ut in Datura at longiores: suntque sensim acuminati, glabri, integerrimi, saturate virides.

Radix unica parva, teres, fibrillis paucis stipata.

Caulis fere pedalis herbaceus, fistulosus, angulatus, ramis axillaribus paucis.

Folia alterna, sessilia, decurrentia, lato-obovalia, venosa, villosa, serrata, dentibus grandiusculis distantibus.

Flores axillares subnutantes pedunculati: pedunculus bifurcatus, biflorus; bifurcationibus ipso duplo longioribus, villosis.

Calyx villosolanatus.

Corolla atro-purpurea-violascens; fauce subnigricante; lobis subrotundis crenatis acumine minimo terminatis.

Nuculæ nitidæ, granulatae, nigricantes.

*Habitat loco supra citato. ☉. Habui florentem mense Julio.*

Obs. I. *Tota planta (ALMIZQUENA et MORADILLA vernacule dicta) florida emolliens, anodyna immo et narcotica est, gratissimeque muscum suave olens.*

TRIG.

Obs. II. *In examen Chymicum revocata, multum olei volatilis, plurimum aquæ acidula et salis volatilis, oleique crassi, fetidi aliquantulum donat. Oleum illud essenziale grate narcoticum. Aqua materia aëriiformi acido-nitrosa abundat, quæ etiam in sale volatili dignoscenda, et medio alcali fixo separanda.*

TRIG.

- Obs. III. *Qualitas emolliens, anodyna, narcotica. Usus externus in ulceribus veteribus tumoribusque cancris experiendus ulterius. Pro Atropa Belladonna Lin. et Conio Maculato Lin. in cancro mamillari contusa, applicata, dolores sedavit, nec minorem, quam notæ illæ plantæ effectum reddidit. Interius experta non est: a doctis medicis experienda. TRIG.*
- Obs. IV. *In aliquibus drupis siccis novem vidi semina.*

## EXPLICATIO TABULÆ A.

*a* Corolla antice spectata. *b* Eadem aliter visa ut tubus appareat. *c* Membrana germen cingens antherifera. *d* Eadem aucta. *e* Anthera aucta intus visa. *f* Germe cum stylo. *g* Fructus intra calycem lanatum. *h* Idem extra calycem. *k* Idem sectus ut loculamenta appareant et semina superiora *nnnn*, cum apicibus inferiorum *ss*. *n* Nux. *p* Amigdalum. *x* Alia figura fructus, quam observavi. *z* Idem sectus.

## 2. TRIGUERA INODORA.

T. Foliis vix decurrentibus ovato-lanceolatis integerrimis lævibus. *Trig.*  
Radix unica, parva, fibrillis plurimis.

Caulis semi-pedalis, erectus, angulatus, ramis aliquot.

Folia alterna, sessilia, vix decurrentia, lanceolata, integerrima, lævia.

Flores ut in præcedenti: at calyces atque pedunculi glabri, floresque speciosi; penduli.

Corollæ tubus brevior quam in præcedente: *faux* dilutissime violascens, e luteo albicante, quinque radiata: limbus albido-violaceus vel purpureus; lobi integerrimi, nec emarginati, nec acumine terminati

Margo membranaceus major quam in præcedente, germen fere tegens.

*Habitat et floret cum præcedente. ☉ Vernacule Moradilla blanquezina. Trig.*

# G E N E R A

## ELUCIDANDA IN TERTIA DISSERTATIONE.

### RUIZIA (a).

Calyx duplex: exterior triphyllus deciduus; interior major monophyllus quinquepartitus. Corolla: petala quinque patentia, basi urceoli inserta. Stamina 30-40, in urceolum basi coalita: antheræ oblongiusculæ. Germen superum globosum: styli decem. Fructus orbiculari-compressus ex capsulis decem unilocularibus dispermis. Semina subrotundo-triquetra, subtus acuminata.

### DOMBEYA (b).

Calyces et corolla ut in RUIZIA. Stamina viginti, basi in urceolum coalita, quorum quinque longiora, latiora, sterilia, alternatim posita inter tria fertilia (c): antheræ oblongæ, subsagittatæ, erectæ. Germen superum, globoso-

(a) In honorem D. Hyppoliti Ruiz Hispani, qui iter Peruvianum et Chilense una cum DD. Dombey et Pavon summa laude peregit, quique adhuc hodie peregrinatur.

(b) In honorem D. Iosephi Dombey Galli, peregrinatoris indefessi, cui nonnulla debeo, quæ ex itinere Peruviano et Chilense reportavit.

(c) DOMBEYÆ characteres ita PENTAPETIS PHŒNICÆ characteribus sunt similes ut unum idemque genus debeant efformare. Verumtamen quum Cl. Linnæus in suo opere, cui titulus *Genera plantarum*, Pentapetem ita definiat ut toto celo distet et a Dombeyæ notis essentialibus, et ab illis etiam, quas attente atque perfecte observavi in *Pentapete Phœnicea*, nolui eodem nomine designare novas plantas, quoadusque certo liqueat, aut Linnæum diversas plantas designasse nomine Pentapetis, aut aliquid humani passum in carumcem examine. In antecessum vero sequentia adjungam in gratiam lectorum.

#### PENTAPETIS SECUNDUM LINNÆUM      PENTAPETIS PHŒNICÆ CHARACTERES VERI. CHARACTERES.

Calyx. Perianthium quinque-partitum: foliolis coriaceis oblongis reflexis.

Corolla: petala quinque oblonga patentia.

Stamina: filamenta quindecim linearia, basi connata in tubum: filamenta quinque longiora, castrata colorata, erectiuscula, longitudine corollæ inter singula tria stamina fertilia singula. Antheræ oblongæ, erectæ.

Germen subrotundum: stylus cylindraceus longitudine staminum. Stigma crassiusculum.

Calyx duplex: exterior ex tribus foliolis ovato-lanceolatis cito decidentibus: interior multo major persistens, 3-partitus; laciniis lanceolatis.

Corolla petala quinque patentia, subrotunda unguibus angustata.

Stamina: filamenta viginti, basi in urceolum coalita: horum quinque sterilia, longiora, latiora, erecta, colorata, corolla breviora, inter tria stamina fertilia singula: reliqua quindecim brevia: antheræ erectæ, oblongæ, subsagittatæ.

Germen subrotundum: stylus cylindraceus, staminibus sterilibus paulo longior, apice quinque partitus: stigmata revoluta, aut fasciculata.

sulcatum ; stylus simplex , apice quinque-partitus. Fructus : capsula quinque in orbem positæ atque conjunctæ , uniloculares , bivalves , mono , aut dispermæ. Semina oblongiuscula , basi acuminata.

#### A S S O N I A ( a ).

Calyx duplex persistens : exterior bracteiformis , monophyllus , apice tricrenatus : interior monophyllus major 5-partitus. Corolla , ut in præcedentibus. Stamina ut in *DOMBEYA* , at sterilia breviora : antheræ oblongiusculæ. Germen superum , globosum : styli quinque. Fructus globosus , nonnihil compressus in capsulas quinque partibilis. Capsula globoso-triquetra , dispermæ. Semina subrotundo-triquetra.

#### P A V O N I A ( b ).

Calyx duplex : exterior polyphyllus , interior monophyllus , semi-quinque-partitus , ambo persistentes. Corolla : petala quinque , basi angusta , tubo stamifero inserta. Stamina numerosa , per tubi longi superficiem sparsa : antheræ reniformes. Germen superum , globoso-sulcatum : stylus simplex : stigmata 8-10. Fructus : capsula quinque in orbem positæ , bivalves , monospermæ.

#### H I B I S C U S .

Calyx duplex : exterior ut in Pavonia : interior semi-quinque-partitus , aut quinque-dentatus , in primo casu persistens , in secundo deciduus. Corolla , stamina , germen , stylus , antheræ ut , in præcedenti : stigmata quinque. Fructus : capsula unica quinque-locularis , quinque-valvis ; loculis polyspermis raris monospermis.

HIB. *Differt a PAV. capsularum et stigmatum numero.*

#### L A G U N A ( c ).

Calyx simplex monophyllus , oblongus , apice acuminibus quinque subulatis

Pericap. Capsula lignosa , ovata , quinque-locularis , loculamentis bivalvibus.

Semina plura , oblonga , compressa , ala membranacea.

Fructus capsula ovata nec lignosa , quinque-locularis , quinquevalvis ; aut potius capsula quinque arcte sibi invicem adherentes.

Semina in singulo loculamento aut capsula octo subgloboso-acuminata , nigra , glabra , duobus ordinibus parallelis denticulatis affixa : sub valvularum limbis internis , plumula exstat , arcuata , alba , semina tegens.

(a) In honorem D. Ignatii de Asso Hispani , cui debemus inter alia plurima , *Synopsis stirpium indigenarum Aragoniæ* , et *Introductionem in Oryctographiam et Zoologiam*.

(b) In honorem D. Iosephi Pavon Hispani , præcedentium peregrinatorum comitis.

(c) In memoriam Andreæ Laguna , medici ac botanici Hispani seculi XVI , qui et commentatus

terminatus, expansione corollæ altero latere rumpendus, deciduus. Corolla: petala quinque, oblonga, patentia, unguibus angustiora, tubi flammiferi basi inserta. Stamina, germen, stylus ut in HIBISCO antheræ: subrotundæ: stigma simplex, peltatum. Fructus: capsula unica oblongo-ovata quinquelocularis; loculis polyspermis. Semina reniformia.

#### G U A R A R I B E A.

Calyx simplex monophyllus tri vel quadri, et quinque-dentatus, quandoque uno latere ad medietatem fissus. Corolla: petala quinque angusta, oblonga, undulata, calycis fundo inserta (a), limbo patente recurvo. Tubus cylindraceus, tenuis, longissimus, calycis fundo insertus, antheras novem sessiles in apice sustinens: super has glandulosa corpora exstant 4-5. Germen minimum subrotundum; stylus longissimus, tubo vaginatus; stigma bilobum, incrassatum. Fructus intra calycem: capsula coriacea, ovata, bilocularis; loculis monospermis. Semina ovata, extus convexa, intus plana.

#### C I E N F U E G O S I A (b).


Calyx duplex: exterior ex 12 fere setulis minimis: interior semi-quinque-partitus, laciniis acuminatis, trinervis: ambo persistentes. Corolla petala quinque basi angustata tubo staminifero inserta. Stamina: filamenta pauca tubi medietati quasi in verticillum affixa: antheræ reniformes. Germen globosum; stylus simplex tubo longior supra incrassatus: stigma clavatum. Fructus intra calycem. Capsula unica, ovata cum acumine, trilocularis, trivalvis; loculis monospermis. Semina oblonga.

---


est et in Hispanum sermonem transtulit Dioscoridem. Scripsit etiam varia de plantis, tractatusque de peste, et de carunculis urethrae.

(a) An melius basi tubi inserta? Id saltem habemus in monadelphis reliquis, tubo ornetur aut urceolo. Ad hæc: ipsemet Aubletius, a quo characteres mutuavi, asserit: *Ils* (quinque petala) *sont attachés au fond du calice par un onglet; et, Le tube naît du fond du calice.* Ex quibus arbitror petala non calyci, sed imæ tubi parti esse inserta, quemadmodum in Hugonia observatur.

(b) In memoriam Bernardi Cienfuegos, Botanici Hipani, Casparis Bauhin Coëtanici. Dedit ille plantarum historiam ita numeris omnibus absolutam, ut merito inter Hispanos illius ævi primus omnium annumerari debeat. Synonyma plantarum diligenter quæsit et examinavit: spartium purgans, et alias quamplurimas Hispaniæ stirpes perfecte delineavit.

























A. J. Cavanilles del.

Sellier Sculp.







A. J. Cavanilles del.

Selkirk Sculp.







A. J. Cavanilles del.

Sellier, sculp.
























A. J. Cavanilles del.

Sallier Sculp.














































A. J. Cavanilles del.

Sellier Sculp.









A. J. Cavanilles del.

Sellier Sculp.








A. J. Cavanilles del.

Sellier Sculp.











A. J. Cavanilles del.

Sellier sculp.







